IOSEPHI GHISLERII ROMANI,

PHILOSOPHIAE, AC MEDICINAE DOCTORIS,

DE EIVSDEM MEDICINAE LAVDIBVS

ORATIO

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

ALEXANDRVM PERETTVM

S. R. E. CARDINALEM VICECANCELLARIVM.



ROMAE,

Ex Typographia Antonij Zannetti. M. D. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ALEXANDRO PERETTO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Ioseph Ghislerius S. P. D.

PRIMVS hic est ingenij mei partus, quem plurimorum acrioribus quibusdam stimulis in lucem edere impulsus tibi vni omnibus nominibus iure optimo deberi, Cardinalis Amplissime, è vestigio statui. Et profectò, si optio mihi integra fuisset, nunquam leuissimam rem grauissimis distento negotijs viro offerre ausus fuissem. Verum quoniam eum me esse intelligo, qui tibi maximoperè addictus, ac obstrictus natus sim, non ascitus, vel adoptatus; ita vt, vel in ipso matris vtero detentum in tibi, atque excellentissimæ familiæ tuæ deditissimorum album me nomen dedisse statutum habeam dum aui, & patris mei gloriosa in hoc vestigia vrgere, ac honorificentissimum istud patrimonium tueri velim, quo, vt mihi nullum vnquam dignius, atque præclarius accidit, ita nihil potius fuit, vel antiquius, quàm illud omni studio, omni obseruantiæ genere colere, ac prosequi. Quocirca quando præsens Medicæ facultatis encomium esse mihi prælo committendum, ac publicis imprimendum typis mecum ipse necessariò reputaui, cùm vt nonnullorum meorum hortationibus haud quaquam essem iniurius, tùm vt aliquibus, qui mecum in philosophiæ stadio conficiendo concurrerunt, consultò me omnium comitatu scientiarum egregiæ, disciplinæ operam nauasse persuaderetur: malui omnino dum tuo idem inscriberem nomini apud omnes audaciæ mihi notam inurere, quàm apud te vnum hanc officij mei partem prætermittens ingrati animi, quo nihil vtiq. deterius terram procreare scitè Publius Mimus affirmabat. Summus idem huius vniuersitatis Deus, qui sydera,

Lunam, Solem ip'um luminum parentem condidit, ac tutatur, faculam piè suis aris incensam benignissimè amplectitur, ac mirificè diligit. Idem ab infimi vulgi quisqu lijs oblatis primitijs tantum omnino, & fauebat, & obsecundabat, quantum illustrium heroum, ac summorum principum. Atque vt diuinum omittam exemplar, ad quod licet quisque pro viribus limare, ac informare sedulòse debeat; huiusmodi tamen est, vt vix cumulatè venerari, non dicam æmulari cuiquam sit integrum. Cyrus Persarum rex delatam vltrò sibi sitienti à rustico proprijs comprahensam manibus modicam aquam regiè, & grata conniuentium oculorum significatione excepit, vt, quod Alexander ille, cui Magni nomen rerum magnitudo gestarum comparauit dicere solitus traditur, vt summi pri cipis est maxima largiri, ita etiam minima non negligere, re ipsa comprobaret. Quibus omnibus & singulari humanitate tua fretus ijs vnis ignota, qui vel mentem calamitosè amiserint, vel improbè ita humanitati omni nuncium remiserint, vt homines esse desierint; humanitati inquam vera, ac ingenuæ nobilitatis germanæ, in qua vna, quasi in Lydio lapide Principum, atque illustrium virorum virtutes examinantur, & percipiuntur; volui omnino, vt præcox iste fortaßse industriæ meæ fructus exponeretur, & quasi spectaretur ad amplitudinis tuæ lucem; nimirum vbi ipsius fouebitur radijs nequicquam maturitatem omnem desperabit. Plurima abs te mihi beneficia ceciderunt, quæ non modo epistolari breuitate digeri, sed ne disertissimæ quidem orationis concinna, & graui copia exhauriri possint, ac præter cætera ad ipsum Medicinæ studium exacuendum, & excolendum, vt illud, de quo tibi Vrbs vniuersa maximoperè debet, me quoque singillatim deuinciret, per te vnum proximè sumptis doctoratus insignibus mihi datum fuit perillustris, & excellentis D. Ioannis Cechij viri omni doctrinarum eruditione præstantis, quo vno nostrum æuum nullius inuidum suo iure gloriari, & efferri potest iugi consuetudine frui, colloquijs doceri, doctrina erudiri, exquisita methodo informari, absolutissima praxi confirmari. Da igitur, vt abs te eodem, à quo, ceu à Sole radij, vel ab Oceano fluuij, in me omnia sunt profecta beneficiorum genera, ad tantum cumulum præsens accedat, vt scilicet hilari, & grata fronte, quod à me mortalium omnium tibi de me egregiè merito deditissimo munusculum exhibetur aspicias, atque excipias. Vale.

ORATIO

ORATIO DE MEDICINAE LAVDIBVS.

AVGVSTISSIMVM idem, ac prope diuinum, & vobis audiendi, & mihi dicendi argumentum ob oculos vicissim versatur, Auditores. Nimirum de Medicæ facultatis laudibus est dicendum; de eius inquam sciētiæ laudibus, qua opifex immortalitatis, conditor animorum, huius vniuersitatis è nullo semine excitatæ auctor, & imperator summus Deus; nihil omnino, vel ad gloriam præstantius, vel ad emolumentum vtilius videtur mortalibus dilargitus; nihil, quod magis suæ quasi felicitatis æstu omnium in sui admirationē animos abripiat, atque absorbeat; nihil, quod in seipso quasi in propatulo, vel summi Dei effusissimam largitatem in tàm egentissimos, & calamitosos homines, quàm etiam diuino numini, ac muneri ingratos, vel, quod eiusdem in mortales fœdissima primi parentis labe madentes, eoque nomine elementis obnoxios paternę comitatis, atque facilitatis speciem æquè obijciat. Nihil denique, in quo tàm mirificè proiecto quodam quasi impetu, & circumfuso splendore scientiæ omnes distinctè colluceant, ita vt nō modo suis, quæ nullis finibus coercentur, laudibus sit admirabilis, sed vna etiam ita omnium aliarum scientiarum præconia occupauerit, vt quæ omnium doctrinarum felicissimo concursu, & comitatu septa suspicitur auspicatissimum postulet ingeniū, in quod omnia ita confluxerint scientiarum omnium ornamenta cumulatissima quadam coaceruatione, vt vbertimè in ea concelebranda possint effluere. Vtinam, Auditores, insigni isto multiplicis cognitionis beneficio saltem fluentis horæ intercapedine vsurpato cohonestarer, ac integrum esset, dum de diuinæ scientiæ præstantia dissero, tàm disertam, & intimo artificio, ac nitore excultam dicendi copiam asciscere, quàm intimè anhelat cupiditas, sperarem certè medullitus, atquè in animi penetralibus abstrusam erga diuinam scientiam beneuolentiam aliquo argumento expromere. Verum Hylam (quod dicitur) me vocare optimè intelligo: non tamen par est fluuij cursum detorquere: infantissima potius, quàm nulla prædicatione variæ huius, & exi-

& eximiæ ſcientiæ laudes perſtringendas duxi, quippe quæ ab eo maximè exiguntur, à quo maximè coluntur. Quod ſi conferto illo, atque compreſſo dicendi genere præclariſsimis conatibus opportuno copioſa tùm verborum leporibus, tùm magnificis ſententiarum momentis eloquentia commiſto res haudquaquam agetur: nouiſtis tamen optimè in fictilibus vaſis theſauros fulgere, in ipſis obſcuritatis ſordibus pretioſa clareſcere, atque obnubilo cœlo Solis egredientem aſpectum fulgentiore quodam ſplendore dilucidius eniteſcere. Nobilis diſciplina ſuis fulta præſidijs ſua ſe ſuſtinet mole, atque ita omnes panegyricos, artificioſa encomia, facunda præconia, longiſsimo ſuperat interuallo, vt eloquentia ipſa, ſi de ea magnificentius, ac byſsinis illis, quæ Artaxerſis, & Cyri mater præcipiebat verbis loqueretur diuina ipſius ornamenta proſequi poſſet, non aſſequi, inchoare, non perficere, aggredi, non euadere. Id ipſum igitur, quod honorifico ſilentio venerari potius, quam vllo locupletis, atque illuſtris orationis ambitu complecti quiſpiam poſsit, quoniam interdum eſt commendandum, non omnino eſſe à ratione auerſum cenſui, ſi eam diſciplinam ad quã addiſcendam omni, quod dicitur, telorum genere, omni ingenij conatu ſum obnixus, ſtuderem, ſi non cumulata, aliqua, ſaltem ſtudioſi animi obſide laudatione commendare, ne veluti alter Tantalus in infinitum diffuſa glorioſæ ſcientiæ vbertate, dum verſatur ingenium nullo vſu torpeſcat, ac crucietur. Cui ſim igitur nonnulla delibabo de Medicinæ cùm nobilitate, tùm vtilitate, quibus vtriſque, & fauere, & ſeruire tàm proprium eſt, quàm ingenitum. Hergratas veſtrum mentes Auditores, teretes, ac religioſas aures, vel nulla concinnitate elaboratæ orationi meæ adfuturas conſtantiſsimè pollicetur argumenti dignitas, quo nullum acroama lenius, atque iucundius in aures illapſum, & ſenſibus infuſum Auditorum animos demulcere, allicere, ac rapere ad ſe ſe conſueuit.

Et profectò cum ad ingenuam, & perilluſtrem Medicæ facultatis nobilitatem ingenij acies perluſtrandam defixo intenditur, atque acuitur obtutu, ſiue ſe ad ſui natalis vetuſtiſsimum ſplendorem referat lucem ipſam æmulatum, cum luce propagatum tot ſæculorum ſerie, quot perenni conſtantiq. viciſsitudine præextitere, quot præſenti fluentia connectuntur philoſophorum inſtanti intelliget. Enimuerò non prius luminibus dignatum ſe eſſe immortalem Deum mortalis cognouit, quàm è veſtigio vbi, vel ſeipſum circumſpexit, vel alia omnia, quæ huius vniuerſitatis ambitu coercentur, & eadem, ſeque ipſum fluxæ, atque ad interitum properantis vitæ calamitatibus obiectum, elementorum iniurijs expoſitum, elanguido, & ægerrimo corpore cõſtare percepit, illico illius ergo beneuolentiæ, qua diuinum numen

erga

erga homines, erga suos inquam perduelles exarsit, in plerisque etiam gloriosæ huius disciplinæ non obscura lineamenta, & notas fuit conspicatus. Nimirum in calamitosam, & fœdissimam labem, ex purissima, ac felicitatibus omnibus vsquequaque circumfluente ingenita, & animi, & corporis immortalitate, atque innocentia delabentem, ac demigrantem hominem, non modo summis bonis dispoliauit, ac abrogauit (neque enim par erat, vt impunè esset diuinum numen per suum scelus infensum, & supplicio careret, qui non careret crimine, vel aduersus eum non omnia conspirarent, qui ab omnium conditore defecit) sed squallentem, & ingloriam vitam ab ipsis lachrymis auspicantem, cuius vniuersum cursum præstantissimus quidam Philosophus morbosam periodum appellabat, continentibus periculis, molestijs, doloribus, ægritudinibus cõstipauit; ita vt sexcẽtis ærumnosissimis mortibus præmeretur, atque excruciaretur, ante extremã, quæ, & spiritũ adimit, & oculos claudit. Huiusmodi, & sæuiora stipendia tabificum virus nostri sceleris promerebatur: noluit tamen diuinus artifex tàm insigni artificio, tàm apta collocatione, & cohærentia operosa mundi mole cõquisitissimo ornatu extructa ad vnum hominem delicijs omnibus augendum, omni accessione, & corolario felicitatũ beandum calamitosam nostri conditionem commiseratus, ita omnia incommoda quasi eruptione facta, vsurpato communis syderis aspectu, nos adoriri, vt mors ipsa ad auersandos, & propulsandos tàm celeres, ac truces impetus expeteretur veluti apex, & meta votorum: noluit omnino, vt quæ hominis gratia sunt effecta, hominis causa perderentur, voluit plurima incommoda plurimis commodis compensare: nõ decebat tamen, vt ea nobis vltrò mancipata, obærataquè otiosi experiremur: sed optimè etiam nobis videbatur consultum, si eadem integrum esset, vel quasi labentia præripere, fugientia vrgere, ad ipsarũ cognitionem pleno, ac laborioso gradu contendere. Libuit igitur summo omnium ductori, vt in hanc lucem opis, & consilij planè nudi educti disciplinæ illius, quam Medicinam vocant industria, solerti labore, assidua agitatione, & inuestigatione euaderemus, & isthæc ipsa prẽstãtissima munera essent ingratis hominibus laboriosissima prius onera, quæ vnius istius facultatis præsidio (dum purissimi crystalli ritu receptam multiplicis cognitionis lucem ad nostros vsus mirificè transmittit, & copiosissimi instar fontis immensam propè innumerabilium rerum cognitionem haustam transfundit in omnium vtilitatẽ) assiduè leuare, ac quasi excusso iugo propulsare, prohibereque liceat: ita vt ob parentalem humanitatis labem in hac continua aduersarum rerum altercatione, quasi in compedibus, & ergastulo detenti, nihil æquè secundũ, nihil iucũdum experiamur ac Medicinam,

quæ siue animum sciendi cupiditate æstuantem oblectare velimus, præsto omnium quasi doctrinarum amictu circumuestita adest, siue fessum recreare, nulla tàm longinquo abscessu á nostro aspectu oblitescentia, quæ ad sui gratiam non aucupetur. Vtinam possem per alia omnia suarum quasi laudum spatia excurrere, & euagari, ac temporis angustia non præcideret consilium; mundi illum spectatorem, quem sapientem appellabat Pythagoras vnum esse Medicinæ cultorem facilè ostenderem, qui gemmeam, & opulentissimam naturæ suppellectilem à nostri cognitione semotam intra angustissimos, deuios, inaccessos sinus abstrusam, & humatã ab auaræ quasi naturæ manibus extorsit, non modo ad curiosos animi motus agitandos, si non sedandos, verum etiam ad eosdem superstites, atque incolumes ab imminẽtibus, & ingruentibus ægritudinum, quasi insidijs fouendos, & præcauendos, quod, vt vni singularius est, eò censendum est præclarius. Vetustissima igitur, vt eò detorqueatur oratio, vnde discessit, est Medicinæ nobilitas, atque ab ipsis mundi incrementis longissima abeuntiũ, ac redeuntium sæculorum serie ad nostrum æuum ita continuata, vt non prius suauissimæ huius lucis vsura, quam præstantissimæ scientię suorum bonorum opportunitate optimæ, nostrarum calamitatum necessitate salutaris commodo, & bono frui cœperimus. Quòd si, vel nomine ipso lucis, & nobilitatis, vt obscuritatis, & ignobilitatis alterni sunt recursus profectò, vel cum ipso nobilitatis primo satu Medicæ scientiæ nobilitatem elicitam, vel Medicinam ipsum nobilitatis nomen præuenisse planè, Romaneq. est asserendum; ita vt præclarissima scientia suo iure ipsa sit quid nobilitate nobilius, doctrina eruditius, amore ipso iucundius, atque amabilius: nimirum cum ipsa luce oriri eam voluit Deus, vt eandem æquè ac lucem coleremus, ac dum prima ob oculos versaretur, ob eos scilicet, qui (quod Plutarchus aiebat) ita duces sunt, & antesignani amoris, vt nihil omnino adeo ad animum sauciandum, & inflammandum ęquè valeat, ac aspectus; prima etiam mentem nostram quasi arcem inuaderet, dum mutuus quidam in ipsa proponeretur, & amor nobilitatis, & ingenua quędam nobilitas amoris. Optimè iam vobis omnibus opinor, Auditores, comperta est, persuasaque Medicinę nobilitas ab ipso lucis exordio inchoata, & perfecta, vt dum pręclarorum virorum momenta rerum suis ponderibus examinantium acies acutissimas vulneraret, eorundem etiã sensibus omnibus infusa animos conciliaret, in quos vehementissimè illaberetur, ita vt suo iure sit affirmandum vnam ipsam tantum cęteris scientijs pręstare, quantum visus cęteris sensibus, sol luminibus, prudentia virtutibus, atque vt ęditissimum, & clarissimum hominis locum oculos, ita summum scientiarum fastigium Medicinam

Plutarch. Sympos. li. 5. quæst. 7.

tenere

tenere sit vtique censendum: quod ita egregiè intellexerunt maiores nostri, vt non Rhetoricæ artis inuentorem Empedoclem, non Dialecticæ Zenonem Eleatem, Ethicæ Socratem, naturalis Philosophiæ, siue Gymnosophistas, siue Magos, siue Græcorum aliquem, non Sphæræ Archimedem Syracusannm, Astronomiæ Atlantem, Dialogorum Platonem, vel Alexamenem; non Musicæ, siue Tubal Hebræum Lamech filium, siue Anphionem; Poeticæ Mosen; solutæ orationis Pherecydem Syrum; Grammaticæ Epicurum; Architecturæ Cain, & Tubal, quorum primus oppidum, alter tabernaculum condidit; Picturæ apud Aegyptios Gygem Lydium, apud Græcos Pyrrhum Dædali filium, fingendorum simulachrorum rationis Prometheum; non auri ipsius, in quo quærendo adeo semper omnium hominum desudauit industria Cadmum Phœnicem; non aliarum denique disciplinarum, & rerum primos auctores Deos sunt opinati, sed solum Medicæ scientiæ primam originem à diuinitate manasse non modo fama percrebuerit, sed certissima opinio omnium animis insederit. An fortasse, quòd tantum alijs scientijs præstare videbatur Medicina, quantū æterna interituris, corpori animus, Deus ipse mortalibus? vel quòd summum opus summo debebatur artifici, & singulare beneficium, vel vni Deo, vel vni diuino spiritu afflato homini? vel quia, in quo omniū virtutū magister Deus se se nobis plenissima manu effudit, in eo etiā planè, & plenè à nobis sit recognoscendus? Medicinam igitur ad omnium morborū, quasi phalanges, ad nostrū corpus demoliendum admotas, ad omnium denique impressiones comprimendas, atque frangendas à summo cœlo, ceu ponte demisso ad cōmune hoc sollicitudinum diuersoriū, & mortis hospitiū delapsam, vt quæ de omnibus benemereretur, omnium animos arctissimè sibi obstrictos deuinciret, ac dum vnius occupatio omnium otio seruiret, omnium etiam otia vnius studerent, ac deberentur laudationi. Medicinam inquam igitur, siue Hebræi, siue Aegyptij, siue Græci olim bonarum artium studijs florentes omnes populi diuinum esse munus sunt opinati. Primi enim Adam diuinitus edocto adiudicant. Alteri ipsius potius cultori, quàm auctori Mercurio. Tertij Apollini, & Aesculapio eiusdem scientiæ peritissimis. Prætereo Osirim Aegyptiorū regem ob huius scientiæ peritiam pro Deo habitum & cultum. Mitto Machaoni medico, quem Deo ęqualem libro quarto Iliados appellat Homerus à Messenijs fato functo anniuersaria stata, sollemniquè cæremonia oblata sacrificia, nuncupata vota, eiusquè filios Nicomachū, & Gorgasum Reges designatos, ac renuntiatos. Prętereo Hippocrâti eosdem habitos, & decretos honores, quos Heroi Herculi; Galenum ipsum à nonnullis pro Deo cultum, si Eusebio Cæsariensi credamus.

Euseb. Caesariensis l. Eccl. hist. 5. cap. vlt.

Omitto huius generis alios quàmmultos: neque enim sunt omnia, quę suppeditantur intexenda. Ad Medicinæ inuentum redeo: fuit igitur huiusmodi, vt conceperit diuinitatis opinionem; quæ excitata opinio ab ipso lucis exordio, vt constans persistat in instituto oratio virtute præstantibus hominibus persuadebit, tàm antiquum esse Medicinæ inuentū, quàm diuinum, atque homines in ipsa veri Dei ignoratione, quasi in miserrima nocte sordescentes; Medicinā tamen ab altissima illa cœli regia, & beatarum mentium concilio in infimas istas ædes ærumnarum nomen dedisse constanter ita fuisse arbitratos, vt verum auctorem, ac Deum nescientes hominibus impiè diuinitate ab ipsis donatis arrogarint, vel diuinis etiam ipsius peritissimos mortales sint honoribus prosecuti, quod porrò quàm turpe est, tàm eorum pœniteat, pigeatquè, quí tanto beneficio, vel vti noluerunt, vel maluerunt abuti. Illud igitur sit exploratissimum primum mortalium parentem medica scientia humanæ vitę tutissimo asylo, & munitissima arce á summo Deo fuisse instructum, inde per manus traditā, & quotidie magis studio, ac diuersorum labore excultam.

Cæterùm iam gratissimum vestrum hoc silentium, Auditores, antiquissima Medicinæ sobole aliqua ex parte delibata videtur postulare, vt ad nobilitatem cognitionis in scientijs summoperè expetendam delabatur oratio. Quæ nobilitas ita in hac eminet disciplina, vt non tàm proprium sit elementis in suis sphęris, neque grauia esse, neque leuia, posse circulari, & mutua quadam vicissitudine alia euadere, ac intorqueri in alia, rebus naturalibus materia, & forma constare; meteorologicis gigni, vel ex vapore, aut ex exhalatione, quantum ipsi in vna omnium rerum cognitione, tamquam in proprio regno conquiescere; non tàm denique proprium sit infinitis indiuisibilibus in vno illo Philosophorum continuo existere, omnibus lineis à circumferentia circumductis centrū petere, sub obliquo, siue Zodiaco Mathematicorum circulo Planetarum motus cōflari, in mare fluuijs omnibus influere, sursum leuibus, deorsum grauibus omnibus ferri, quàm omnibus scientijs, vel ab hac vna facultate prodire, vel in hanc vnam admirabili quadam consensione, atque connexione concurrere, & commigrare, vt quemadmodum ex varijs modulatè canentibus vocibus mollis quidam, & iucundissimus ex plurium numerosa illa vocularū flexione concentus efficitur; ex fidium, lyræ, organorum coniuncta agitatione, modò graui, & concisa; modò acuta, & crebra; modò inflexa, & media suauissima quædam symphonia, atque harmonia ad rapiendas, & demulcendas aures conciliatur; ex varia cœlestium orbiū conuersione, & motu, quo vicissim ita alij rapidissimo cursu; nōnulli opposito; alteri obliquo; alij remisso, ac tardo cientur, vt diuersis cir-

cumuo-

cumuoluti polis sibimetipsis videantur reluctari: aptissima tamẽ extremis quasi eundem in cadendo sonum referentibus ex dissimili illa concordia collocatio,& cohærentia partium à toto, atque admirabilis quędam naturę vis,& intelligenda,& suspicienda proponitur. Ex ipsa elementorum dissymbola proprietate, symbola combinatione tàm opportuna suppetit corporum naturalium generatio,& mixtio. Ex temporum in anno cõficiendo quatripartita mutatione tàm multa terræ munera,& commoda suppeditantur. Ex stata denique, constantiquè diei,ac noctis periodo tàm rata,& apposité partita distributio ad animalium salutem diutius propagandam deriuat,& proficiscitur; tantum bonum,& commodum in medium partitum recognoscitur,partim ad defatigatas vires reficiendas,partim ad vegetiores,alacrioresquè nos reddendos ad omnia cùm obeunda,tùm subeunda negotia; ita omnino ex scientiarum omnium felicissimo nexu in hac facultate construenda absolutissimum,& diuinum quid efflorescat, atque eluceat, rursusquè ex vna ipsa concinens, & congruens quidam mortalium necessitati disciplinarum,atque vtilitatum omnium congressus manet,ac obueniat,ita vt,si quæ scientia excogitari possit, in qua encyclopedia illa Græcorum, ideſt orbis omnium scientiarũ aduertatur,hanc vnam esse Medicinam suo iure sit affirmandum.Et profectò par erat,vt quæ scientia naturæ est felicissima ministra naturã; ex dissimili rerum concordia interuallis iuncta disparibus temperatum,& opportuno quasi ambitu comprehensum quid elicientem ęmularetur dum in seipsa,quasi in orbe inclusis scientijs omnibus ab earũ circũflexo ambitu pręclarissima quęquè homini per momenta percunti pręsidia,& opem ferentia eximeret, atque doceret,vel quæ vna omnium corpora omnibus tuetur,ac tutatur adiumentis,eadem etiã, vt circulum omnem absoluisse,& omne,quod dicitur tulisse punctum videretur,animum scientijs omnibus aleret, ac illustraret. Scientias igitur omnes Medicina quasi ferax,& opimum solum ex sese fundit, Auditores. Et primò peritus Medicus est,dum congruè voces connectit,suæquè mentis enunciat conceptus Grammaticus.Eloquentissimus Orator,dum ordinatè,ornatè,copiosè, eleganter, eruditi ingenij fœtus litteris mandat excudendos ad publicum cõmodum, quod ita appositè,concinnè,& cumulatè à nonnullis cùm Græcis,tùm Latinis fuit actum,vt profectò verborum,ac sententiarum ornamenta in suis emissis libris vsurpata suo iure ita certent cum exquisitæ,& planè reconditæ doctrinæ eruditione,vt propè diuinum quid redoleant; præterquàm quod hic missas facio assiduas Medicorum consultationes, quas collegia vocant, in quibus præter grauissima ex disciplina deprompta præcepta studiosè elaboratam, & elucubratam quandam

etiam profitentur eloquentiã, ita vt verè in ijs illam inuenias facultatem, quam Rhetorum, ac Oratorum princeps Tullius copiosè loquentem ſapientiam appellabat. Dum quæquè diuidit, inuenit, diſtinguit,diffinit,iudicat,rerum veritates indagat,intellectum ipſum, & rationem ratione moderatur. Contradictoria, oppoſita, contraria, ſubcontraria,ſubalterna,ambigua,antecendentia,conſequentia,& alia huius generis diſtribuit,ac inueſtigat,vera ſecernit à falſis, de omnibus rectè ratiocinatur,acutiſsimus Logicus; ita verò Logicus eſſe debet,qui medicinam profitetur,vt Medicũ, qui ipſa careat, tamquã voraginem eſſe fugiendum,noſter aſſerat Galenus. Dum ſedulo motus,& exortus ſyderum,quod emolumentum,quod detrimentum humanis poſsint corporibus communicare perquirit, Aſtronomus: facultas verò Aſtronomiæ adeo medicinæ conducit, vt, qui ipſa omnino careat, vix Medici nomine dignus ſit cenſendus,cum abſque ea,neque prædicere,neque curare cum ratione queat,quod ſępiſsimè,omiſſis alijs auctoribus,noſter Hippocrates in libro de aere,aquis,& locis repetit,ac exaggerat: non modo enim pharmacis propinandis fortibus,venæ ſectioni,& alijs medicamentis nonnulla ſunt ſuſpecta tempora,vt ſolſtitia, ęquinoctia, & alia multa; verum etiam quàmmulti morbi,ex cœleſti cauſa in hominibus generantur,vt ex eclypſibus, & Martis cum Saturno coniunctione, & alijs,quæ licet poſsint noſtris corporibus ægritudines communicare,ſedulus tamen,& eruditus Medicus,dum non ſit Aſtrônomiæ ignarus,facile eas pręcauere,& euitare poteſt;vt optimè Ptolemęus de eiuſdẽ diſciplinæ vtilitate loquens, teſtatur. Mitto cœleſtia ſigna, quę ſingillatim noſtris pręſunt membris: nimirum Aries capiti,& faciei; Taurus collo; Gemini brachijs, atque humeris;Cancer pectori,pulmonibus,ſtomacho;Leo cordi,ventriculo,iecori,dorſo,& coſtis poſterioribus; Virgo, inteſtinis, & fundo ſtomachi; Libra renibus,femori,atque natibus; Scorpio genitalibus, vuluæ,matrici,ano; Sagittarius femori,atque ſubinguinibus; Capricornus genibus; Aquarius cruribus, tibijſquè; Piſces pedibus pręeſſe traduntur. Silentio inuoluatur ſingillatim quamlibet Planetam nonnullas corporis partes regere. Sic Sol caput & cor,Mercurius linguam,& os; Saturnus ſplenem;Iupiter epar;Mars ſanguinem; Venus renes,& genitale ſemen; Luna Stomachum ab Aſtronomis gubernare traduntur. Pręterea à duodecim cœli domibus diſtributum noſtrũ corpus. Sileo quantum Lunę varij aſpectus,congreſſus,affectiones, tùm ad ſalutem, tùm ad perniciem humani corporis pertineant; ex quo vno Poetę ipſi, qui pretioſam veritatem falſo contegunt mendacio Dianam venatricem fingunt, eamquè ſuis ſagittis ſæpiſſimè homines de medio tollere ſcribit Homerus,cum vna,quod Aſtronomi referunt

Galenus de conſtit. art. med. c. 9.

ſerunt

ferunt instar speculi sit, quod omnium Planetarum lumina à se depellens in nos iaculetur. Ex quibus omnibus facile quispiã colligat, atque vt exploratissimũ habeat, cum cœlestia corpora lumine, motu, influxu in hęc inferiora agant, ac plurimũ omnino cùm ad vicissitudinem generationũ, tùm ad alternanda, temperanda, fouendaquè corpora sublunaria possint, vt ex hoc vno tàm vtique scitum, quam tritum sit Aristotelicum illud, *Sol, & homo generant hominem*; non modo summoperè conducibilem, sed necessariam esse Astronomiam medicinę. Dũ ventos, anni constitutiones, pluuias, cometas, & huius generis meteorologica alia, quę vt secunda ęgritudinum insidias ab hominibus naturę sponte ad eas propendentibus propellere, sic aduersa in earundem, quasi scopulos possunt appellere non mediocri meteorologicorum peritia posset. Dũ ex varijs regionibus diuersa in cõmune cõmodum accersita congerit, earumquè distinctos situs facilè rimatur quò ab alijs distributè, partim calida, partim frigida, partim tẽperata excerpat, eximius censendus est Geographus, & Cosmographs. Dũ pulsuum ad numerũ dimensiones metitur Musicus. Dũ ędiũ molitur salubres structuras, quibus quęquè sint ventis, cui aeri exponenda docet, peritissimus architectus. Dum, vel omniũ morborũ numeros, vel cuiusuis ęgritudinis certis inuadentis periodis interualla, & accuratè dies illos ad verè prę sagiẽndum necessarios, quos criticos, decretorios, indices, & contem plabiles appellant medicè supputat, & quęquè symptomata, quasquè crises quasi calculo subducto vicissim inter se se collata, & numerat, & aduertit leui saltem aliqua, si non cumulata Arithmeticę cognitione, necesse est vt sit instructus. Dũ prętcrita perscrutatur, vt pręsentibus opituletur, & maiorum inuenta pręsentibus connectit, vt optimo habito delectu optimè laborantibus cõsultat, non exigua historiarum cognitione, quam vitę magistrã & veritatis lucem sapiens quidam appellabat florere est dicendus. Dũ rimatur corporis naturalis principia, causas, affectiones, & huius generis alia Philosophus. Vbi genus sanorum omniũ, quod suum est pręcipuũ obiectum, fluxisse à summo illo ductore, atque fundatore (qui vt ab omni sceleris cognatione longissimè est secretus, ita vnus eorũ tabificum virus potest eluere, eorum insitas stirpes, non modo aliqua ex parte excindere, sed penitus euellere) secum ipsa attentius reputat, atque ab ijs, quę intuetur ad ea, quę aspectu nostro diffinito cernere nõ licet intelligenda aspirat, Theologus euadit. Iuris prudentiam, quam suo iure rationis filiã finxere maiores nostri, omitto, vt eam, quã omnibus, qui ętatem ad ratum, & certũ quasi perpendiculum, ac normã traducere velint, non modo maximopere consentaneã, sed necessariã esse, nemo mentis compos vereatur, pręterquã quòd Tullius nõ modo

bene dicendi, ſed etiam ſciendi eruditiſſimus auctor eandem ita Philoſophiæ arrogat, vt ex intima Philoſophia depromptã, & iugiter hauriendã aſſeueret, & iure optimo: quo pacto enim leges ij tradere potuiſſent, qui naturę leges ignoraſſent? ex intima inquam Philoſophia ingenua medicę facultatis alumna, quę ita à Medicis ad ſuam facultatẽ limandam, & perficiendã fuit inueſtigata, vt quemadmodũ margaritam ſine pretio, & ſplẽdore; viuũ animal ſine animo nequeat quiſpiã naturaliter inuenire, ita omnino verum ſine Philoſophia Medicum nulli par ſit effingere. Omnes igitur ita in ſeipſa, quaſi in egregiè cælato, atque tornato annulo pretioſos lapillos ſcientias mirificè cõtractas, & colligatas oſtentat Medicina, vt prę clariſsimũ illud naturę miraculi nomen adeptũ in gemma quadam Pyrrhi Epirotarũ regis annulo illigata artificiũ nouem Muſarũ choro diſcurrentibus, & ſerpentibus maculis diſtinctè in ea inſculpto ſuperare videatur, atque veluti in leuiſſima re, nulliuſquè vſus maximum, & ſingulare quid viſa eſt effeciſſe, ita in prę clariſſima quid ipſo maximo maius, admiratione admirabilius procreaſſe, ſit vtique cenſendũ, in quo tamquam in pretioſiſſima pyxide, non vnã Homeri Iliadẽ, vt in Darij opulentiſſimo ſcrinio effeciſſe traditur Alexander Macedo, ſed ſuos omnes abſolutiſſimè cõgeſtos theſauros collocaret; ita vt iure optimo doctiſsimus Porphyrius eandẽ, non ſingularium, ſed vniuerſaliũ ſcientiam appellarit.

Iuſtin. in proemio ff. in fine. Veſter, Iuriſconſulti, Iuſtinianus, cuius ſingula verba ſunt prę gnantia, ſingulę ſententiæ ſunt leges omnium, affirmet ſcientiarum parentem; *Quintil. de clamat. 108.* Quintilianus ſacram rem nuncupet; grauiſsimarũ auctor ſententiarũ *Caſſiod. li. 6. epiſt. variarum.* Caſsiodorus vnam affirmat medicinam excellere, ac eminere inter vtiliſſimas res, quas ad neceſſitates mortaliũ leniendas, ac tollendas diuina tribuit natura. *Tiraquel. c. 31. de nobilitate.* Tiraquellus facundiſsimus, non modo iuriſperitus, ſed pulcherrimarum rerum ſcriptor, Medicina nullã omnino doctrinam vtiliorem, magis neceſſariam, magiſquè conducibilẽ hominibus traditam fuiſſe aſſerat; *Lucian. de Medico abdicato.* Lucianus appellet Deorum doctrinã; *D. Hieronym. ſuper Iſai. c. 38.* Diuus Hieronymus Dei opus. Quo eodem laudationis genere pluribus ante ſęculis mortalium omniũ ſapientiſſimus, non à Pythiæ oraculo habitus, vt Socrates, ſed à ſummo Deo effectus Salomon vſus fuerat. *Eccleſ. 39.* *Altiſsimus* (inquit ipſe) *de terra creauit medicinam, & vir ſapiens non abhorrebit illam.* Nolo temporis anguſtia preſſus in huiuſmodi alijs exaggerãdis laudationibus, tùm ex ſacris litteris, tùm ex varijs auctoribus depromptis diutius immorari. Nolo immoderatius veſtra facilitate abuti: non ero tamen ita ſuſcepti argumenti dignitati iniurius, vt Homerum, alijs prætermiſſis teſtibus, tacitum omnino abire ſinam, qui vt iugiter conſueuit pauciſſimis maxima complectens, ita de Medico loquitur:

Ἰητρὸς

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Medicus enim vir multis æquabilis alijs. Et alibi: *Homerus lib. 11. Iliados.*

ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων.

Medicus autem quilibet sciens supra omnes Homines. *Homerus lib. 4. Odyssea.*

Vnus igitur Medicus tamquam Prometheus alter omnes omnium scientiarum formas induit, ac diuina illa Platonis harmonia gaudet, ita vt, quod Tacitus de Oratore inquit, huiusmodi eum esse debere, vt quemadmodum miles omnibus armis instructus in aciem, sic ipse omnibus disciplinis eruditus in forum prodire possit, tanto verius, quãto æquius de Medico sit affirmãdum; tantoquè inquã omnino sit verius, quãto charior est vita fortunis, atque homines remedijs magis, quàm facundæ orationis ostentatione, & ex morbis euadunt, & valetudinem tuentur. *Cornelius Tacitus, dialogo an sui sæculi Oratores antiquiorib. concedant.* Ecce igitur vobis iàm, Auditores, à me summa tantum copiosissimi argumenti fastigia cursim persequente, si non expressa, leuiter saltem adumbrata venustissima gloriosę disciplinæ imago omnium doctrinarũ, quasi pigmentis nitens ad educendam, & cõflandã expletam quandã vnius quadratę, & ad coronidem, quod dicitur ductæ scientię formam. Videtis iam maris instar medicinam in omnes scientias influere, ab omnibus recipere. Videtis quàm quasi certatim luculentissimam vnam facultatẽ aliæ omnes ingenuę facultates studeant insignire. Et profectò decebat vni scientiæ quasquè alias singillatim sua pendere, & conferre quasi tributa, à qua vna earũdem essent prima iacta fundamenta, atque excitata initia. Nimirum cùm rationi, tùm sensui ipsi summè consonum videtur scientiarum omniũ exordia à Medicina ducta, & auspicata fuisse, ab ea inquã, quæ vt affatim, assidueque mortalium incommodis consulat, quæquè inuestigauit cõmoda, atque inde maturitatem quandam nactas quorundam singularium fuisse singulares scientias effectas. Verũ vt magnę laudi vertẽdum est Medicinæ egregias huiusmodi, quasi filias produxisse, sic vicissim ijs tàm singularis, & præclarissimę matris filias esse magnificum planè sit, atque gloriosum. Aequum igitur erat, vt eam ornarent omnes, à qua non modo sua omnia essent ornamenta mutuatæ, verũ etiã ipsius beneficio hominum ingenia in earundem laboriosa inuestigatione, & studio robur, firmitatem, constantiã contrahunt, ac tuentur; ita vt non tàm referre gratiam, quàm petere; non tàm vetus beneficiũ dissoluere, quàm nouo videantur obstringi, & duplici quasi versura facta vetera congiaria, non modo compensare, sed nouis cumulare. Regium sanè, ac regia scientia dignum eo frui imperio, vt dùm summa quęquè maximoperè sunt ipsi deuincta, maximoperè adhuc de ijs pos

sit be-

ſit benemereri; ita vt dũ referre gratiã velint beneficio ſe nouo obſtringant, vetere non abſoluant. Cæterum non modo Medicina aliarum ſcientiarum eniteſcit ornatu, ſed vna ipſa ſibi vni adiudicata tàm immenſa rerum cognitione excellit, vt alias diſciplinas tamquã Oceanũ fluuios abſorbere, vnaquè plura alijs omnibus ſimul connexis, & comprehenſis ſcire, & callere videatur, ita vt ſuo iure exactiorũ iudiciorũ calculis, inter alias bonas artes ipſa veluti totum quid inter partes emineat. Quò factũ fuit, vt nodoſum baculum manu comprimentem Aeſculapium antiquitus depingerent, vt ſcilicet indicarent Medicinã tàm multiplici eſſe, & cognitione, & difficultate obſtructam, atque circumplexam, vt eam non niſi longiſſimo experimento, ac ſtudio cuipiam aſſequi integrum eſſet. Quid enim, vel operoſius, vel illuſtrius excogitari poteſt, quàm vnum hominẽ vnius beneficio facultatis, ita omnia naturæ arcana patefacere, obſcura illuſtrare, vt nihil tàm ſit in abditiſſimis terrę cauernis humatum, & ſepultum; in imis maris vadis, atque alueis immerſum, intra animaliũ corpora abſtruſum, quod idem ex auarę, quaſi naturæ manibus erutum, effoſum, extortum in communis ſyderis aſpectum, atque vſurã non proferat ad hominum miſeram conditionem ſubleuandam, & in ſuauiſsimæ ſanitatis libertatem aſſerendam? Hinc tot humanæ vitæ prę ſidia ex metallis, quæ ſeptem prę cipuè chymici ex numero planetarũ aſſerunt, auro, argento, ære, ferro, plũbo, ſtamno, argẽtouiuo; tot alia ex alijs, ſiue metallis innatis, cuiuſmodi ſunt variæ æruginum differentiæ, vt ſunt raſiles, ſcoleciæ, ſiue vermiculares, ſanternæ, ſiue chryſocollæ, ceruſſæ, quas vſtas ſandyces appellant; ſiue ab ijs in fornacibus artificioſè ſecretis, cuiuſmodi ſunt Stomoma, ſiue acies, flos æris, ſquama æris, ſcoriæ, diphryges, raminę, helcyſma, lythargiros, chryſitis, argyritis, molybdena, quę plumbago & galena appellatur. Ex alijs, quæ in ijſdem ſublimatur cuiuſmodi ſunt Cadmiæ differentiæ, vt botrytis, onychitis, Placodes, Zonitis etiam appellata, oſtracitis, Pompholyx, & ſpodium: ex medijs inter metalla, & lapides, cuiuſmodi ſunt ſulphur, antimonium, pyrites, quem Marcaſſitam vulgo appellant, calamina, zaffera, magneſia, & alijs huius generis, quæ velle numeroſius percenſere, neque tempori, neque loco, neque egregiè veſtrum omnium in me audiendo facilitati eſſet conſentaneum. Hinc metallico prætermiſſo argumẽto, vt alia nonnulla breuiter, & celeriter percurramus, quæ Medici hominum ſaluti proſpicientes ſubtiliter perſcrutantur, tàm magna, tãquè præclara emolumenta ſumuntur ex pretioſis quàm multis lapillis, vel intra animalium corpora retruſis, cuiuſmodi eſt lapis bezoar, intra caprę ſylueſtris apud Indas inteſtina abditus ad venena necanda, vel lapis, qui in Tiburonum piſciũ capitibus, quibus Indarũ quo-

que

que Mares affluunt ad nephryticos dolores sedandos, Aetites in aquilarum nidis, sine quibus aquilæ, vt inquit Plinius haudquaquam parere possunt. Allectorius in gallorum ventriculis delitescens ad lętitiã, alacritatẽquè pugnantis cordi conciliandã, cuius gemmę portentosam quasi insitam naturã Milonem Crotoniensem felicissimè, ac sępissimè fuisse expertum antiquissimas testari historias, idẽ prodit Plinius. Lapilli in nascentiũ hirundinum ventriculis, qui epilepsiæ, quod etiam os de corde cerui collo appensum efficere, scribit Arnaldus de Villanoua obsistere traduntur. Lapides quidã, qui in stomachis quorundam animalium portentosæ cuiusdam magnitudinis testudines referentium, quæ apud Indas Caimanes, vel Ligures appellant, atque vt plurimum fluuiorum ripas dicuntur incolere, qui ijdem lapides quartana febri laborantium temporibus admoti, eandem ab ægroto, vel penitus abolere, vel saltem maximopere leuare dicuntur. Sinodótides in cerebro piscis Sinodontis, quem hodie dẽticem vocamus, qui ad dolorem colicum præsertim laudatur. Draconites, siue dracontias, qui è cerebro draconum haberi traditur, ac poculis aduersus venena dicitur imponi, vel alius lapis, qui in rubetæ, quem bufonem vocant capite reperiri refertur, cui proprium esse tribuitur venena depręhendere, venenis enim pręsentibus colorem eundem mutare nonnulli testantur, & his similes alij, vel intra viscera terræ, vt lapis Hęmatites, Iaspis, Phrygius, Gagates, Smaragdus, Sapphirus, Hæmatistus, Moroxus Thyites Ophitis, Memphites, Ametystus, Hyacinthus, Topatius, Chrysopatium, Beryllus, Selenites, Adamas ipse; quibus omnibus licet auarus sæpissimè in sui exitium abutatur: Medicus tamẽ, cuius ingenij acies non falso ipsorum splendore perstricta hæbescit, sed intimè diligentius naturę hæc miracula, & prætia in terrę cauernis, deuijs, ac preruptis montiũ rupibus delitescẽtia intuetur, vimquè elicit ex ijs à summo effectore traditam ad nostram, & incolumitatẽ retinendam, & ad morbos tollendos: sic gemmarum istarum nonnullæ stomachi, & vulnerũ dolores sedant; alteræ grumosas discutiunt cõcretiones in musculis; alię gurgalionem inflammatum sanant; aliquę genuum tumores flatuosos, & diuturnos curant; quædam ad venena, ac ictus venenatos ex vino potæ laudantur, ab epilepsia pręseruare, Veneremquè prohibere scribuntur; nonnullæ carbunculos extinguere, Veneris ardorem, & sudores cohibere frontis, & linguæ dolores sedare, ruptas membranas cogere, atque oculorum sordes abstergere, eorumquè excrescentias inhibere referuntur. Cæterę diuersa singillatim præsidia diuersis afferunt morbis, quorum copiam vberrimè tradunt Galenus, Auicenna, Aegineta, Plinius, & alij multi. Prætereo margaritas, & corallia maris, aliosquè fluuiorum lapides Medicinæ

Plin. lib. 36. cap. 21

Plin. lib. 37. cap. 10.

industria hominum saluti non mediocriter conferentes. Sileo varias salium differentias. Quæ ex aquis generantur, quorum salutaré vsum velle astarim percensere, esset vel authores describere, vel volumen ædere. Quid de immensa propè arborum, fruticum, herbarum varietate dicam? in quibus non stipitem solum, sed folia, cortices, fructus, semina, liquores, succos, virgas, flores, gummas, lachrymas, qualitates omnes actiuas, & passiuas; odores, sapores, colores, raritatem, densitatem, celeritatem, tarditatem, duritiem, mollitiem; quæ, quibus temporibus sint excerpenda, ac demetenda, quibus condenda vasis, ad quem locum quæquè, siue opacũ, siue apricum, debeant vergere; cuncta Medicis tàm optimè perspecta, quàm necessariò. Missas facio varias aromatum, & odoratorum differentias, diuersos diuersarum terrarum vsus, vt Rubricæ, Sinopis, Fabriis, Lemniæ, Samiæ, Selinusiæ, Chiæ, Cimoliæ, Ampelitis, Creticæ, Armeniæ, Eretriæ, Meliæ, Pignitis. Taceo multorum mellium, vinorum, oleorum, aliorumquè huius generis liquorum genera diuersa. Prætereo inuestigata etiã quammulta ex ipsa terra remedia; ex ipsis aquis, quarũ tàm fructuosũ vsũ esse, ex Hippocrate libro de humidorũ vsu, & alijs auctoritatibus, rationibus, atque experientijs ostendit doctissimus Cardanus, vt variè administratas posse varias, imò ferè omnes ex humanis corporibus ægritudines depellere affirmet; vt fortassè non immeritò Pindarus ille, cuius ob decora animi ornamenta solis ædibus pepercit Alexãder, dum Thebas excinderet aquam omnium rerum optimam in hymnis cecinisse videatur. Supersedeo enumeratione balneorum, siue artificialium, quæ olim inter summas habebantur delicias, siue naturaliũ, quorum quædam sunt nitrosa, altera salsa; alia aluminosa; aliqua bituminosa; nonnulla sulphurulẽta, omnia denique, vel terris, vel ignibus, vel metallis permixta; quæ vniuersa diururnos, & maximè contumaces affectus, vlcera, dolores, tumores, siue per sudorem, & insensibilem transpirationem, siue per vomitum, deiectionẽ, atque vrinã summouere, quotidiana docet experientia. Silentio inuoluantur omnia quatrupedum, auium, serpentium genera, pisces marini, lacustres, palustres, fluuiales, littorales, ijquè, qui saxis affixi vitam omnẽ traducunt; animalia, quæ vocant insecta, siue ex animalibus generis eiusdẽ nascantur, siue sponte naturæ; vt ex rore, qui frondibus insudat, ex cœno, ex fimo putrescente, in lignis, in excrementis adhuc intra animãtem contentis, in excretis, ex virentibus folijs, in fœce vini, in pilis animalium, in igne ipso: nam, & bestiolas in medio igne pennatas in Cypro insula nasci, ac ætatem degere scribit Aristoteles. Quid referam vnum eorundem partes omnes exquisitè expendere, siue internas, siue externas, ipsas saliuas, sudores, spumas, sanguinis, lactisquè differentias,

Cardanus quodã de aqua libello.

Arist. li. 5 de genera. anim. c. 19

rentias,

rentias,vrinas,stercora ipsa,vt ex stercore (quod dicitur) aurum colligere verè dicatur Medicina;locos,quibus nascuntur, quibus aluntur; ex quibus omnibus,qui infausta valetudine quatiuntur, quasi ex aspirantibus, & arridētibus naturæ donis Medici exculti beneficio tantā hauriunt vtilitatem, quanta à me dici, à vobis intelligi minimè possit. Quid referam infinitas pulsuum differentias? Quàm ferè innumeros acutissima quadam subtilitate Medicorum ingenia, ac inter se se dissidentes pulsus excogitarunt? Quàm non modò re ipsa,sed nominibus discrepantes? Hinc pulsus magni,mediocres,parui,celeres,tardi, languidi,molles,crebri,rari,duri,imbecilles,æquales,ordinati,inordinati,rhythmi,pararhythmi. intermittentes, intercurrentes, deficientes, prominuli,tensi,vndosi,vermiculares,formicales,caprizātes, serrini,spumosi,tremuli,palpitantes,hæctici,strepentes,vibrati,quos alij ramosos,& arcuatos vocant; spasmodes,siue conuulsorij,myuri,quos modò reciprocos,modò anonymos,modò detinentes appellant; remissi,repressi,vno ictu bis ferientes,& his similes alij,ex quibus plurima præsagire,conijcere,& scire liceat Medicis, quorū industriæ, quasi firmissimo adminiculo hominum salus nititur. Quàm diligenter variis in ijsdem perpetua ferè serie mutationes ex ætatibus, anni temporibus,regionibus,exercitationibus,balneis,siue frigidis, siue calidis, cibis, vino,dolore,reliquisquè plurimis,quæ sexdecim integris libris noster mirificè tractat Galenus,etiam assiduè Medici aduertunt? Quid referam excretorum omnium,ac præcipuè lotiorum discrimina in colore,substantia,triplici sedimento,scilicet nubecula, suspenso, & hypostasi,alijsquè permixtis,vt bullulis,spuma,pure,pituita,semine, grumo,sanguine,calculo,filis quibusdam instar capillorum,arenis,rubris, flauis, albis, quarum duæ primæ à renibus,posteriores à vessica prodire traduntur; pinguibus nonnullis; punctis tamquàm olei diuulsis; furfuri,vel crassiori farinæ, vel squamulis similibus; carunculis renum exulceratorum inditijs; & alijs,quæ attentissimè inspicienda,percipiendaquè sunt à Medicis illis,qui non malint exitio, quàm vtilitati esse mortalibus: ex qua vna singulari diligentia in omnibus notādis rebus Apii vetustissimum medicum multoculum, Aesculapium barbatum maiores nostros finxisse arbitror: ex quo etiam vno Aristoteles (quod plurimi quoque authores identidem efficere solēt) sæpissimè libris præsertim Politicorum,vbi prudentiæ exemplum velit afferre à Medico similitudinem aucupatur. Quid varia salutis & mortis in morbis signa,atque iudicia? Quid solutionum illarum diuersitates,quas Cryses vocat? Quid morborum,atque symptomatum innumeras dissimilitudines loquar? Quid venena? quę licet ad interitum mortalium effecta videantur: ijs tamen sæpissimè Medici ad vi-

tàm fouendam,ad necem prohibendam,vt alexiterijs vtuntur:ex quo vno D. Chrysostomus laudandæ medicinæ, & Medicos efferendi occasionem præsertim arripit. Sic caro viperina in theriaca est optimũ venenorum alexipharmacum,Auicenna in cura icteri propinat arsenicum. Sacculi ex eodem,vel auripigmento in tempore pestis in regione cordis gestantur ad vim tabificam arcendam, virus extrahendum,& prauos absumendos vapores. Cantharides,quæ vessicam naturę cuiusdam infestissimo instinctu exulcerant: easdem tamen aliquibus commistas medicamentis illius morbos corrigere,inquit Galenus. Rhododendrum, quam alij neruium,& lauri rosam appellant, mulis,canibus,asinis venenum,epota ex vino serpẽtium morsibus est remedium. Emplastrum ex aspidibus, quod inquit Aetius,articulorũ affectiones,& coxendicũ resolutiones curat,& alia huius generis,quę consulto relinquo plurimum vitæ securitati conferentia reddita medicamenta. Sat sit breuiter isthæc pauca perstrinxisse, ex quibus alia multa quasi ex magnifico vestibulo ædium reliquam structuram vobis liceat conijcere. Quid de ipsorũ antidotis dicam? Quid de medicamentis, quæ amuleta vocant? Quid referam nullis vnquam exanthlatis laboribus defatigandum Medicorum studium, vt nihil omnino esset,quò sua inuestigatione non pertingeret,ex nouę illius orbis partis nuper repertæ,quam Americam vocant regionibus ad medicinam augendam simplicia indagata,Salzaparillam,radicem sassafras, lignum Guaiachum,Chinæ radicem,Contrherbam, Scorzonerã, Mechioacan radicem,quam Indum Rhabarbarum vocãt, Tabaccũ,Carduum,quem vocant sanctum,Guacatan,Ambragrisum. Herbã quadam,quam Ioannis Infantis ab inueptoris nomine vocant, quæ vulnera omnia sanare dicitur,aliasquè plurimas herbas, gummas, olea, lactes,ligna, radices, lapides, aliaquè in ijsdem Indarum regionibus inuenta,vt eundẽ omnino sciẽdi finem Medici ingenium faceret, quẽ natura mundi,solẽquè ęmulatũ vniuersa suã luce collustraret. Quid denique commemorem non modò animalium omnium, sed humani corporis anathomen; quàm ita,vt ita dicã omnem discerpit,secat,incidit, indagat, vt tàm exteriorum partium, quàm latentium viscerũ singillatim actiones omnes, vsus, connexiones,figuras,temperamenta,naturas, facultates,nutritiones, accretiones,alimentorum ijsdem partibus influentium(vt cum Medicis loqui pergamus) appositionẽ, agglutinationem, assimilationem, & huiusmodi cętera mirificè edoceat,humani inquam corporis anathomen,in cuius fabrica ita diuina enitescit sapientia,vt vnam Dei librum sapientissimus quidam appellarit; quippè quę tàm admirabili eluceat artificio, vt non modò partes princeps,sed leuissima quęquè egregiè eius, qui ea sapientissimè est mo-

D. Ioann. Chrysostom. in Gen. homilia 7.

Galen. lib. de Theriaca ad Pisonem.

Aetius sermo. 15. cap. 15.

est molitus summam contestentur excellentiam. Nulla ossa, cartilagines, ligamenta, tendines, fibræ, membranæ, carnes, adipes, vertebrę, articuli, villi, spiræ, medullę, nerui, musculi, venę, arteriæ, pelliculæ, velamina, foramina, tunicæ, glandulæ rami, spondyli, cauitates, sinus, radij, vasa, suturę, trunci, propagines, ductus, orificia, situs, partes, lobi, plexus, tubercula, & huius generis alia sparsim, ac dispositè per vniuersas corporis partes effusa non modò coalescentia, & suturarū compagibus inserta, commissaquè; sed singillatim ingenio secreta suis ponderata momentis sunt, quæ hominum ingenia admirabili artificio non ad se se rapiant, ac maximoperè non exagitent. Optarem mihi studiosius liceret partes omnes nostri corporis partitè si non exprimere, leuiter saltem adumbrare; atque vt natura, quasi in sui operis absolutissimo epilogo, in hac humani corporis fabrica pręclariora quæquè congessit, absolutissima amplificauit; ita ex hoc eodem diuino compendio globum quendam dolatè machinari, atque conficere facultas mihi suppeteret, in quo tantam naturæ maiestatem in hoc opere collucentem, non circino, amussi, aut perpendiculo designatam, & fabrefactam, sed vno immortalis Dei verbo, ac manibus excitatam; inde exiguo semine in mulieris vtero propagatam, in has ędes, in hęc mortalia spatia diuinitus ad ipsam informandam animo demisso, vt ad immortalia humanę vitę, quasi stadio confecto contēderet: facilè profectò vnicuique persuaderetur hac duntaxat cognitione medicam: facultatē felicissimam esse; atque vtique quispiā intelligeret nullum horologium tàm multis ponderibus, angulis, interuallis, stylis, typis, diametris, semidiametris, lymbis, lineis, cellulis, arcubus, rotis, & huius generis sexcentis, tàm concinnè, variè, numerosèquè conflatum: nullam nauim tàm multis velorum, antennarum, rudentium, fistularum, muralium tormentorum, remorum, anchorarum, aliorumquè innumerorum, siue nominum, siue rerum differentijs, operosè esse elaboratam. Nullam Rempublicā tàm varijs magistratuum differentijs insignitam, quàm eiusdem humani corporis fabricam, tàm eximio compactam, & coagmentatā artificio, quàm diuino. In vno capite quàmmulta nobis obuia fiunt; capilli, cuticula, cutis, pinguedo, membrana carnosa, pericranium, peristion, caluaria duplex, dura meninx, tenuis meninx, connexio, figura, magnitudo, pondus, corpus callosum, ventriculi, speculum, plexus choroides, eminentiæ maiores, eminentię minores, venæ, arteriæ, nerui, spiritus animales in corpus omne effusi, variæ suturarum, & ossium differentiæ, sensus exteriores, sensus communis, imaginatio, discursus, memoria, ratiocinatio, & plura alia, quæ singula ad ipsarum singularia beneficia percurrenda singillatim longissimam expeterent orationē.

Quam-

Quàmmulta in thorace,in artubus ob oculos versantur. Quàmmulta prætermissis principibns partibus oculorum exquisita structura, aurium flexuosis meatuum sinibus,cæterisquè alijs in vno cernûtur admirabilia digitorum motu quatripartito,in quibus solum triginta articulos,singulis articulis quatuor tendines adnumerat Galenus libro primo de vsu partium. Sed Oceanum in infinitum diffusum sum ingressus,neque illud velle transmittere est consilium. Sunt isthæc omnia nullo non dico,vel lectissimo verborum delectu,sed ne acutissimæ quidem mentis prospectu metienda, Auditores,huiusmodi, vt disertum quemque Rhetorem pedem referre, ac prius ferè dare manus, quàm conferere præstantissimarum copia laudum, & eminus, & cominus quasi circumuentum cogant,suspiciendaquè potius tacitę mẽtis occulta commentatione,ac admiratione, quàm vulgarium verborum ambagibus, aut inuoluenda,aut minuenda quispiam, non tàm sui ingenij imbecillitate abiectus,quàm rei magnitudini obiectus intelligat. Tàm multiplici itaque cognitionis comitatu septa est Medicina,vt nec tàm multis vndiquè collectis flosculorum amœnis succis vllum examen apum liquescere,aut vlla cœlestis iris colorum illuminata varietatibus splendescere sit censenda.

Est igitur Medicina omnium quasi scientiarum Minerua ex capite Iouis, id est à summo Deo infra lunam depressa, vt periclitantibus hominibus prospiceret, omnium hæc est Amalthea donorum, atque instar Homerici illius Achillis clypei humanarum,diuinarumquè rerum notionibus diuinitus insculpta. Ecquis ab vna scientia plura exigat? Quis sibi ipsi plura aueat? Quis erit,vel in tanta copia sic inops, vel in tanta gloria ita inglorius, qui medicinæ laudes omni non oratione modò,sed cogitatione superiores non efferat,nôn creberrimo,& sermone,& agitatione vsurpatas celebret,ac admiretur? De vberrima Medicæ facultatis cognitione iàm nonnulla attigimus, plura prætermisimus,quod grauissimis quibusquè argumentis vsu venire consueuit, vt non modo aliqua affigere ad facundam eloquentiam ostentandam verum p[illegible] rima prorsus detrahere dicenti sit necesse ad auditorũ molestiam euitandam: at medicina commune est beneficium, excubias vna assiduè peragit ad omnium sospitatem communiẽdam, suis cuiusquè corpus vallat,ac obsepit pręsidijs. Par igitur est, vt omnes beneficio affecti beneficia prædicent. Quę ego tacitus pręterire temporis angustia cogor,vos vobiscumetipsi reputate:quisquè tacitus de sui ingenij viribus periculum in felicissimæ facultatis laudatione faciat: quisque selectissimis quibusque argumentis præcellentissimam disciplinam prosequatur. Ad Medicinæ obiecti nobilitatem strictim attingendam potius,quàm persoluendam festinat oratio;quo transacto om-

&omnes nobilitatis partes, quas pręcipuè quęquè exigit scientia delibasse mihi videbor, atque ad egregias vtilitates (quod me pollicitum esse non ignoratis) ex eadem Medicina in hominum vitam deriuantes progrediar.

Medicinę igitur obiectum est humani corporis robur, vel custodire, vel ab eodem morbos excutere. O`auspicatissimum hominis pręsidem; animalis scilicet diuino animo prædit; rationis (quam lucē, & lumen vitæ disertè dicendi magister Tullius appellat) compotis. Hominem itaque Medicina, & admirabili rerum cognitione cumulat, benèquè valentem tuetur, ægrè corrigit: hominem inquam; illud videlicet animal, quod magnum Dei miraculum appellabat Mercurius Trismegistus; paruum mundum, & rerum omnium mensuram Pythagoras; mortalem deum Plato; omnium rerum epilogum Iamblicus; quoddam omne Plotinus; quo Abdala Saracænus rogatus, quid inter Dei opera maximè pręstaret, nihil esse admirabilius respōdit; pręter idem, nihil in terris magnum Fauorinus aiebat; vetustissimus Zeroastes cum diu secum agitasset pręstātissimi animalis excellentiam exclamasse dicitur. O`magnum audacis naturæ miraculum. Hominem Apostolus imaginem, & gloriam Dei vocat. Vnicum constitutum regem eorum, quæ sunt in terra; vnicum habere liberā potestatem ad malum, & bonum; terrenum esse, & cœlestem; temporalem, & immortalem; visibilem, & intelligibilem; spiritum, & carnem, & alia multa vni singularia esse doctè inquit Damascenus. Vnum cœlum, & terram esse inquit D. Augustinus, cum corpus à terra, animum à cœlo sortiatur; vnum ad totius idem Trinitatis imaginem effectum; vnumquè in hoc mundo, quasi aurum in fornace aurificis positum dicebat. Admirabile visibilis creaturę theatrum; & cœlestē in terris creaturam appellat Diuus Ambrosius. Omnem creaturam asserebat Diuus Gregorius, qui idem, illud diuinarum litterarum de homine dictum asserit: *Excelsior est cœlo, profundior inferno, longior terra, latior mari*. Aristoteles, modò animalium omnium sapientissimum; modò prudentissimum; nonnumquam ciuile, & œconomicū; diuinitatis maximè particeps; ingenio, atque cogitatione plurimum valens, alijsquè plurimis his similibus insignis animalis pręclarissimas dotes persequitur. Qui plura? Homo inquam est medicinę obiectum, in cuius naturam Dei Verbum, hoc est, de Deo Deus, natura pręstantissimus, potestate maximus, auctoritate summus, æuo sempiternus coiuit, ac delapsus est: cuius vnius animus rerum omnium causas longè, latèquè perlustrans; rerum initia, progressiones, proprietates; plurima de herbarum, ac stirpium natura, vi, ac potestate; animantium motu, reptatu, incessu, volatu; auium cantu; piscium

1. Corin. 2.

Damasc. lib. 2 de orthod. Fid. c. 13.

Aug. li. 1. retractat. Lib. 12. de Trinit. ac Serm. 6. in Euang. S. Matth.

Ambr. Examer. lib. 6. cap. 1. Ac enarratione 1. ad Horontianū in duo loca cap. 1. Genes.

Greg. sup. Ioan. c. 2.

ſcium mobilitate; gemmarum, ac metallorum ortu; fontium, & fluminum perennitate; omnia vtilitate magna; dignitate pręſtantia, difficultate non vulgaria percurrens; cœleſtium corporum agitationem; ſyderum, ſiue errantium, ſiue inerrantium ortum; aſtrorum magnitudinem, lumen, progreſſionem, congreſſionem inueſtigans haudquaquam terra contentus nullis expletur, niſi vno felicitatibus beatiſſimis, cogitatione ſuperioribus circumfluente Deo. *Feciſti* (inquit D. Auguſtinus) *nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*. Animal inquam illud, quod ad ſui ſimilitudinem effecit Deus, quod quodammodo (vt ita dicam) Deum ſacræ litterę
Pſal. 81. appellant. Ego dixi Dij eſtis; quod vnum procreatarum rerum omnium ſiue corporearum, ſiue incorporearum, horizontem aiebat eſſe ſapiens quidam; cui vni eſt proprium cum plantis vegetare, ſentire cum brutis, intelligere cum Angelis; figuram ſolum rectam, & celſam obtinuit, quæ cœleſtes igniculos, & ſemina diuinitatis ſuę teſtarentur, omnium eſt animalium temperatiſſimum, quod tribus præſertim præſidijs inſtruxit natura, quæ cæteris animalibus denegauit; ratione ad inuentionem, ſermone ad auxilium, manibus ad perfectionem; ad cuius partium corporis proportionem omnia referunt architecti; ita vt verè, qui ſeipſum noſcat omnia ſcire ſit dicendus, cum in ſe rerum omnium habeat ſimulachra. Poſſem cum Mundo hominem conferre, & in illo omnia tam cœleſtia, quàm ſublunaria, cùm ſimplicia, tùm mixta corpora expreſſa facile indicare; ſed longius ſanè proueheretur oratio, quàm, vel ipſius termini, vel veſtra facilitas poſtulent. Ex celeberrima glorioſiſſimi obiecti nobilitate vnuſquiſque florentiſſimæ facultatis ſummam facilè arguat, & colligat nobilitatem: tale nimirum vnumquodque eſſe conſueuit, quale illud, circa quod verſatur. Ex quibus luce clarius pateat ſibi ipſi illum probro eſſe, qui honeſtiſſimam diſciplinam improbet, dignitati, ac laudi; qui laude, atque honore proſequatur, cum ille inhumanus, immanis, ferus, ita immemor beneficij, quo ſic aſſiduè ſtipatus ſit, ac circumiectus, vt dùm ipſius obliuiſcatur, eiuſdē improbè prius memoriam, quàm ſenſum deponat. Iſte gratus, moratus, qui immortale beneficium, quibus poſſit compenſet, & eo ipſo, quòd habet aliquam referre videatur gratiam illi facultati, qua nihil omninò nobis in vita ſtudioſius, ac beneficentius ſuppetat; quippè quæ in ſecundis rebus pręſidium, in aduerſis ſolatium; in dubijs conſilium afferat, dùm incolumitati, ac ſaluti noſtrę picta in omnibus remedia; in floribus, atque delicijs auxilia permixta aſſiduè, quaſi explicato ſinu omnibus ſubijciat. O' precioſiſſimum humanæ vitæ theſaurum, qui hominē chariſſimam ſummi artificis poſſeſſionem, immunem ac

integrum

Integrum sustines, omnibus,& ornamentis,& adiumentis adauges. O scientiam pręclarissimo dignam obiecto. O obiectum pręclarissima dignum scientia. Decebat profectò, vt, quæ disciplina omnia nouit eius causa nosceret, cuius causa omnia sunt effecta,& princeps obiectum principis esset scientię, ac ad immortalitatem effectus homo vni subiaceret immortali muneri. Digna sanè, vt quemadmodũ præter vnum hominem diligit, adiuuat neminem, sic eundem præter illum humana prorsus delectarent nulla, atque in hac vna, non vt sæpissimè Agamennonem Homerus, sed summum Deum ποιμένα λαῶν, iugiter recognosceremus, ac prædicaremus. At vnum hoc argumentum, vel ab alijs seiugatum, ita frugiferum, ita immensam propè dicendi segetem subministrat, vt nihil æquè sit dolendũ, quàm esse intra modici temporis angustias, & ingenij limites perstringendum. Clitellæ planè boui, quod dicitur, sunt impositæ: æquo tamen animo ferendum, quod nequeam effugere. Detestabilius fuisset illud prorsus deseruisse, quàm ieiunè,& exiliter attigisse.

Nobilitatis omnes partes scientias illustrantes in medica facultate maximopere admirabiles breuiter insinuauimus Auditores, ad vtilitatem eiusdem iàm deflectenda est oratio: quæ profectò huiusmodi est, vt siue priuatam, aut publicam, siue corporis, vel animi, pacis, aut belli summas quasquè vtilitates cum ea conferamus nō modo ipsam non superare, sed ne longissimo quidem interuallo exęquare optimus quisque sentiat æstimator, quippè quæ huiusmodi sit, vt eosdem omnino aculeos, atque igniculos omnium animis naturæ sponte ingeneret, quos vitæ ipsius propagandę insitus amor. Grauissimi integerrimę huius veritatis arbitri constituuntur, locupletissimi testes producuntur ipsa natura, naturę parens Deus; singuli quiquè homines. Enimuero, si naturam spectes nullibi gradum facias quin non dubia, sed certa impręssa vestigia cernas innumerarum vtilitatum, quæ ex ipsa tamquam ex capite,& fonte cęterarum ferè omnium quoquo versum non modò incorporum, sed in animorum salutem effuduntur, ita vt nihil æquè velle profiteri, & contestari videatur ac immensos gloriosę scientię fructus, nihil æquè, vt ita dicam prensare, & auere, quàm vt quisquè in suo ingenio quasi in vrna,& monumento in tam felici bono effusæ naturę gloriam condat. Quid enim aliud sibi vult naturam omnem, ita vna esse hac scientia segmentatam, & quasi vermiculato emblemate contextam, vt, quod luculentè inquit Plinius, non modo culta loca, sed ipsa etiam horridior solitudo sit medicina, quàm, cum omnino tàm salutari beneficio, ita homines cumulatos occuparit, vt ne quidem conniuere possint quin illico oculi in medicinæ beneficia incidant, vt scilicet ita prorsus in hoc colendo munere defixi adhære-

Plinius li. 24. cap. 1.

ſceremus,vt cum vix ad alia animnm detorquere liceret,vel in vno cętera omnia recoleremus,vel vnum aliorum omnium ſummum celebraremus. Non tàm profectò egregiè ſigillum vniuerſum ceræ imprimitur,quàm naturæ ferè omnia bona in hac facultate conſpiciuntur expreſſa,vt fortaſſe in omnium animos egregio bono potiundi ardentiſſima cupiditas non per cuniculos irrumperet,ſed palam gratiſſimè illaberetur, ac quaſi hęreditatem à ſacra illa omnium parente natura nobis traditam adiremus;hęreditatem inquam,vt ea bona,quæ noſtri cauſa ſunt cõparata,in quibus ita ſedulo elaborauit, vt quæ in ſeipſa nequiuit ſubminiſtrare bruta ipſa docuerit,vt ab ipſis homines peterent. Hinc enematis ſalutarem vſum ab Ibi Aegypti volucre roſtro aluum perluente ad ciborũ onera reddenda didicimus. Venę ſectionem,quam in febribus, ac omnibus ferè morbis creberrimè, & ſaluberrimè vſurpamus. ab Hippopotamo accepimus arundine acutiori ſtipite prædita ex vena cruris ſanguinem extrahente quantum ad oppreſſum, & humorum,& ciborum ſarcina corpus leuandum, vulnere inde cœno obducto ſufficiat. Chelidoniæ vſum ab hirundinibus ea pullorum oculis naturæ impulſu edoctis medentibus. Dictamum herbam extrahendis ſagittis opportunam à ceruis eo telo confoſſis, ipſius eſu illud euomentibus, ab ijſdem Cinarem herbam ad venena deuorata necanda comedentibus,Origanum à Ciconia, Hederam ab Apris, Fœniculum ad oculorũ caliginem abſtergendã á ſerpentibus, iuncũ paluſtrẽ à gruibus,annuũ ipſo faſtidiũ purgantibus;ad idẽ helxinẽ herbã à gallinaceis,& alias huiumodi mortaliũ infeſtis, & infauſtis morbis apprimè cõſulentes,quæ à Plinio vnà ſunt collectæ ab animalibus accepimus, vt præſtantiſſimũ medicæ facultatis, & glorioſũ naturæ, imo non naturæ, ſed diuinæ gratiæ munus numeroſius, & illuſtrius redderetur. Nullum Auditores, tàm variè conchyliatum periſtroma,tàm multis conſpicuum regium diadema margaritis, ita diuerſiculor camaleon,tygris,vel panthera tàm inſigni macularum varietate reſperſa, inter gemmas Panchrus, quæ omnibus ferè coloribus conſtare ab eodem Plinio ſcribitur tàm multis illita, & variata coloribus cernitur, quàm multis, diuerſiſquè medicam facultatem iuuantibus,ac ornantibus natura conferta eſt, & circumſepta.Et planè iure optimo decebat, vt illa maximè ſufficeret, quæ maximè conducerent,atque illarum præſertim copia affflueret, quarum eſſet copioſa neceſſitas, & eadem natura,quæ vnis hominibus nudis in nuda humo primo die ærumnis expoſitis nihil niſi edoctis ſcientibus ſæua viſa fuerat nouerca,cum animalia cætera omnia ſtatim in lucem educta edocuerit, quæ ad propriam ſalutem propagandam, ac tutandã ſunt neceſſaria in hoc vno diuino munere comis,ac benigna eſſet mater,

Plin. li. 8. cap. 27.

Plin. li. 37 cap. 10.

ter, summasquè iniurias summo resarciret beneficio, quo illas tamquam ardentissimo igne leuissimas scintillas obrueret. Atque vt post naufragium portus, laborem quies, bellum pax iucundior apparet; sit omnino nonnulla nobis indita sunt à natura molesta quò diuinum Medicinæ munus, & charius, & iucundius accideret, adeo commendari, amariquè tantum bonum à nobis ardentissimè exoptabat: omnes inibat rationes, tentabat vias, commoliebatur, & admouebat machinas, intendebat conatus, obsidebat locos, vt omnibus, & rationibus, & vijs, locis, & conatibus nobis cunctis summopere probaretur, summis quibusquè obseruātiæ generibus coleretur, vel vt nobis vsquequaque obsessis nullus tergiuersandi locus relinqueretur, vel, vt dum vndique ipsa gloriosa disciplina est circumsepta vndique eandē absolutam testaretur, ac expletam, atque, aut vniuersa ferè bona posse ab ea prodire, aut in vnam referri; sicquè vniuersorum sibi studia conciliaret; vel, vt dùm omnia vafro cuipiam fortasse, & captioso homini minus arriderent, omnium saltem aliqua quaque versus cincto necessariò plauderent; vel, vt dùm se totam tanti boni, quasi arcem cōstitueret, quam nullo ariete quatere, nulla testudine collidere; nullo aggere, vallo, uineis, subruere; balistis, vel tormentis expugnare liceat, quos non amore ad præclarissimi muneris commendationem admodum ingratos nequiret allicere, vi compelleret, ac, vel inuitos in officio contineret: nimirum ita omnis diuini numinis afflatu diuinæ scientiæ luculento ornatu compta, concinnataquè nitere voluit, vt sui dissimilis, & perdue lis sit dicendus, & habendus, qui ipsam solerter non obseruet, & comprobet; omnis consilij, & rationis expers sit, qui celeberrimum istud beneficium non recognoscat, cuius aures creberrimis, ac saluberrimis istis, quasi vocibus obsurdescāt; impius, qui tam insignem occulere, & obnubere veritatem audeat; dumquè omnem naturam homines huiusmodi variatam medicinæ ornamentis respuunt, censendi sunt, ne vacuum detur in natura. dùm omnia bona contemnunt, omnia mala adoptare: vel denique medicina natura omnis est referta, vt ostenderet vnam esse calamitatum omnium perfugium, voluptatum portum, atque ita vni Medico ipsius perito omnes suam vitam tutò committere possent. Ex quo fit, vt si verè peritū inuenias Medicum, omnes certatim eundem consulere studeant, maximis non modo honoribus afficiant, sed præmijs, à sua opinione, ac iudicio tamquam ab oraculo pendeant; ita vt vnus veluti perpetua quadam potentia & potestate munitus videatur, qui vnus omnibus possit præsidia, & opem impertiri; vna facultas tanta polleat facultate, tanta auctoritate, tàm propè incredibili vtilitate, vt sic omnium sui admirationem, & acclamationem commoueat, vt nulla magis princi-

pum uirorum gratiam inire, familiares parare, paratos tueri posse videatur, veluti illa, quæ non modò sui pulchritudine; sed etiam maximè conducibili fructu, atque commodo ad sese mortalium cunctorũ animos titillet, excitet, & ceu Sol vapores trahat. Præclara Alexandri (quem inuictum Delphici Apollinis oraculum appellauit) vox ad Aristotelem celebratur, qua se (licet Democriti plures fabulantis Mũdos lugeret) aiebat, si alterutrum esset eligendum cupere magis singulari disciplina, quàm potestate præstare. Est sanè vox ista gloriosũ ardentis, & erecti ad bonarum artium studia animi inditium: longè tamen gloriosius est idipsum, quod erat in votis Alexandro; perito, & cumulato Medico posse me verissimè asserere cumulatissimè contingere, cum vnus singulari; & peritia, & auctoritate, vt audistis, excellat, atque vno summo quisque eminens imperio, tamquam maiestatis plenissimo quique vtilissima facultate potiatur, non mediocriter & necessario indigeat, vnumquè summa honoris obseruantia, suæ virtutis ergo dignetur. Vnus igitur Medicus maximoperè scit & potest: quis verò Medicus huiusmodi sit dicendus, hoc opus, hic labor est: id autem tantum est, vt Hippocrates in quadam ad Abderitas epistola, neminem penitus Medicinam nouisse affirmet; ac, si vera effatur Tullius vix singulis sæculis præstantem oratorem inuentum; mihi non temerè asserere posse videor, vix multis optimum Medicum extitisse; copia nimirum cognitionis, qua gloriosa affluit disciplina facit inopiam peritorum. Habetis iam, Auditores, salutaris scientiæ prædem, & testem, quo præclariorem, veriorem, tutiorem, non dico, sperare, sed ne exoptare quidem quispiam posit; ipsam videlicet naturam, quæ ita planè est Medicinæ vtilitatum vberrimarũ accuratisimus testis, vt Medicum naturam ipsam quodammodo esse, & vocari etiam ex Hippocrate quidã inter celeberrimos nostri temporis auctores probet, & asseueret: hoc itaque teste nemo meliorem expetat, aut inueniat; nisi fortasse ingenuam disciplinam, quam ex felicissimo illo cœlestium animorum cœtu nostrarum, quasi ægritudinum pondus in ima hæc mortalium domicilia traxit diuini illius sapientiæ auctoris, & animorum Dei, atque cœlitum testimonijs vnusquisque comprobari magis gauderet: nimirum natura insitum est, vt omnes iucundissima, quasi recordatione lætari consueuerint, delati beneficij grata memoria refricata, & ab vltimo initio repetita. Fas igitur sit ex hoc suggesto appellare ipsum humanæ salutis restitutorem Christum Dominum, qui vbi primum carne, conditionequè mortali suscepta, vt homo ex beatissimæ Virginis vtero in hanc lucem est egressus, & ad mortales sese vsus abiecit, vt extorres homines restitueret, ac primi parentis scelus expiaret, cuius gula nostrum omnium dentes ægrè

Alexãdri dictum refert Sabellicus Enneade 4. lib. 4.

Tullius de Oratore.

Mercurialis lib. 2. var. lect. cap. 12.

obstupe-

obſtupeſcebant: ijdem enim primi humani generis parentes, vbi venenati ſerpentis conſilio inconſultò communis, quaſi boni gurgites interdictum pomum ſunt helluati cum ipſo deuorato tàm mortiferũ hauſerunt venenum, vt quaſi exitiali poculo cunctis etiam poſteris calamitosè propinato ab eo eſſent mortales omnes æternum interitum relaturi: ipſorum igitur crimine (proh miſeram humanam conditionem) immortali exitio eramus omnes obnoxij: par enim erat, vt æternę mortis pœnas repeterent, qui æternæ vitæ imperia neglexiſſent. At ea fuit admirabilis noſtris etiam iniurijs laceſſiti diuini numinis facilitas, tanto nos etiam contumaces, ac perduelles fuit amore proſecutus, vt idem Deus, qui æternæ felicitatis fuerat auctor iàm ex genitore Deus, ex genitrice mortalis voluerit eſſe ademptæ recuperator. Atque idem Deus (vt ad id vnde longius digreſſa eſt ſuauiſſima, iucundiſſimę acceptæ felicitatis memoria delinita, & perfuſa iam reuertatur oratio: neque enim dum in tanti boni recordatione hærebat animus poterat illico diſcingi) idem inquam Deus, vbi hæc mortalia ſpatia inuiſit ſæpiſſimè Medici nomine appellari, & ipſius etiam vſu, diuino tamen more, vt iugiter conſueuit prę clariſſimam ſcientiã dignari voluit. Et planè conſonum videbatur, vt fons omnium bonorũ, qui ſeſe ex cœleſti domicilio infra Lunam effudit, vt noſtra hæc ſola omni felicitate grauidata, immortales parerent fructus auſpicatiſſimæ, & beatiſſimæ vitę vnius medicæ prę ſertim ſcientiæ vſum, Medici nomen deligeret ambo gratiſſimam pollicentia ſalutem, emolumenta, commoda, opportunitates cumulatiſſimè omnes. Digna ſcientia, vt ab omnium digniſſimo probaretur, & quę vna conſultrix eſt, & prouida omnium vtilitatum ab eo celebraretur, qui earum omnium tam optimus eſt parens, & cuſtos, quàm ęternus, ac maximè ſalutarem ſcientiã ſibi is inter mortales degens vindicaret, qui omni peccati labe abſterſa, & obliterata, ſæuiſſima dęmonis tyrannide abacta penitus, ac profligata æternam eſſet ſalutem allaturus, ęterniquè Dei ſuauiſſimo aſpectu ex hac miſeriarum colluuione emergentem hominem immortaliter beaturus. Optimam igitur ſcientiã optimus mortalis, diuinam Deus, ſaluberrimam ipſa ſalus, omniumquè dominus omnium coriphęum ſcientiarum mirificè nobis, vel in ſeipſo cõmendat: huic vni nimirum ſcientiæ tamquam mortalium conſtitutę à ſummo Deo tutelę, ita omnia ſunt ſubiecta, vt ipſe egregius Iuriſconſultorum auctor Baldus, propter vnam ipſi propriam ſalutis humanę curã magis eſſe fauendum Medicis, quàm aduocatis aſſerat, & Philoſophorũ princeps Ariſtoteles Reipublicę, Principi, & patrifamilias magis neceſſariam eſſe Medicinam, quàm artẽ parandarum diuitiarum, cui ardentiſſimè omnes, quaſi naturę ſponte inhiãt affirmet. Sæpiſsimè igitur

Bald. l. 1. col. 1. C. mand.
Ariſt. 1. de Repub.

tur

tur ſacris in litteris,& á ſacris auctoribus ipſe Deus Medicus appellatur. Matthæi cap.9. Marci 2. Lucę 5. ſeipſum Deus Medicum appellat, cum dicit: *Non opus eſſe bene valentibus Medico.* Exodi cap.15. *Ego ſum Deus ſanator*, vel vt alij vertunt Medicus. D Chryſoſtomus homilia in D.Marcum 6. inquit Moſem,& Iſaiam medicos fuiſſe,Chriſtum autem archiatrum,ideſt Medicorum principem. D.Cyrillus,vel vt alij uertunt Origenes in Leuiticū 8. ita exorditur. Medicū dici in Scripturis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum etiam ipſius Domini ſententia perdocemur. Hęc, & alia multa Sanctorum teſtimonia huius ueritatis affert doctiſſimus Tiraquellus de nobilitate Medicinæ, ubi etiam fuſiſſimè ipſos Angelos,Archangelos, quàm multos ab Eccleſia in diuorum numerum cooptatos,ſummos Pontifices,ſummos Imperatores,Reges,alioſquè clariſſimos uiros,qui Medicę facultati, uel operam nauarunt,uel admirabili morborum ſanatione eandem non mediocriter illuſtrarunt fusè recenſet. Sed prętermiſsis alijs omnibus ſanctiſſimis uiris,qui immortali diuini numinis munere, dum ęgrotos quàmmultos ſubita ſanitate donarunt ſummopere humano generi conducibilem medicam facultatem apertiſſimè indicarunt,dum eā opem ſuo auxilio utiliſſimā eſſe docuerunt,qua homines ex ægritudinibus conualeſcunt: nullo pacto ſilentio ſunt inuoluendi ſanctiſſimi nonnulli uiri,qui propriè,ae uerè Medici extitere,quales fuere D.Lucas,unus ex Euangelicę hiſtorię ſcriptoribus,ſi D.Paulo credimus,D. Ambroſius, inter quatuor Eccleſię Sanctæ Doctores, cuius ueritatis teſtis eſt Syrupus ab ipſo confectus aduerſus febrem,adciendos ſudores,& ad ſedandam ſitim; Vrſicinus Martyr ſub Nerone, Pantaleon ſub Maximiano,Euſebius Pont.Max. ſub Meſſentio,Alexāder Phryx ſub Antonino Vero. Coſmas,& Damianus, alijquè multi, quos breuitatis cauſa miſſos facio. Redeo ad Chriſtum Dominum, quem ſæpiſſimè Medici nomine appellari ſe voluiſſe oſtendimus: reliquū eſt,vt quod polliciti ſumus ipſius etiam vſu: diuino tamen more plurimas à plurimis ægritudines depellendo diuinam iſtam ſcientiam non mediocriter illuſtraſſe,breuiter perſtringamus. Sic Matthęi cap.8. puerū Centurionis ſanatum à paralyſi,leproſum Lucæ 5. decem alios leproſos Lucæ 17. Eiuſdem Lucæ 4. ſocrum Simonis à febri; mulierem,diſſenteria ſanguinea correptam Marci 5. Lunaticum Matthęi 17. Murū & dæmoniacum Lucæ 11. Cœcum natum Ioannis 8 Duos cœcos Matthæi 8. omnes incolumes, & ſuperſtites à ſuis ſingillatim ægritudinibus redditos ſacris eſt litterarum monumentis conſignatum. Et denique,vt ipſius Diui Lucę verba ex fonte recitentur. *Cum ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum; at ille ſingulis manu imponens curabat eos*, & D. Ioannes cap. 21. *Sunt autem*

Coloſſ.4.

Syrupū refert Antonius Guaynerius c. 1. de febribus.

antem, & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum eos capere posse, qui scribi possent libros. Quis igitur eximiam scientiam, vel integram tuendi valetudinem, vel deperditam reparandi dum summus Deus probat impiè improbet? Dum ęgris conciliat valetudinem ipse Deus salutis saluberrimã docet medicinam, ac tanquã admirabile, & diuinum quid iugiter esse colendũ, & recognoscendum, dumquè mortaliũ morbis ipse Deus medetur insignis, & pręclarissimi boni pretium, gloriã, & vtilitatem planè summã sancire videtur. Nihil sanitate inter mortales post Deum ipsum; nihil sanitatis causa Medicina est vtilius. Sanitatẽ opportunũ, & maximopere expetendum munus esse, si quis inficiaretur vt, qui sensum negaret, dignus esset pœna sensus. *Melius est,* inquit Salomon, *corpus validum, quàm census immensus, & melius est pauper sanus, quam diues imbecillis.* Aristoteles celebrari solitũ scribit: *Bene valere præstantissimum hominis est.* Pręternittantur alij plerique huius rei testes, cũ sua cuique natura exploratissimus sit testis. Ad ipsas Medicinę vtilitates redeo; quarum denique (vt aliqua absoluendę orationis spes affulgeat) quiquè sunt homines optimi testes: siue enim Principes viros spectemus illud communi consuetudine, quasi lege vsurpatũ videtur, vt eorum vnusquisque præclarissimos Medicos ad sui, & familię uitam sartam, quod dicitur, & tectam, ab obsidentibus morbis integerrimè tuẽdam deligat; siue non modo Vrbes, sed castra, rura, pagos omnes perscrutemur in omnibus publica pecunia accersitos, & conductos Medicos animaduertemus, siue priuatos quosque homines; nullũ omnino intelligemus esse, cui præclarissima scientia non summam attulerit opem, si Medicos ipsos immensis lucris prætermissis, quæ ex hac scientia faciunt maxima, incredibilia, quorum nonnulla exempla à Textore collecta, & alia sparsim ab alijs auctoribus, uel scripta, uel in ipsis illustrioribus nonnullis, & Vrbis huius, & omnium gentiũ conuentu, & amplissimo senatu decorę, ac Orbis ipsius familijs ad summum nobilitatis, diuitiarumquè splendorem Medicorum industria euectis quispiã potest intelligere; si Medicos inquã ipsos, quorum vnus quæstus neglecta auaritia sit pietatis ergo in afflictatos mortales immortale æternæ vitæ pręmium, nullus omnino erit, qui siue ad vitã tutandam, siue ad propagandã ex ipsa non summum capiat vsum, & vtilitatem aucupetur. Hæc illa igitur est scientia Auditores, cui suam sobolẽm Patres familias, suum Principem, regna, & Vrbes, suam vitã ipsius opem priusquàm lucem aspiciant in ipso adhuc matris vtero delitescentes, quàm multi homines debent, cui ex mortis faucibus erepti fortunarum vsum, dignitatum adeptionem hominum consuetudinem plurima, & in alios collata, & ab alijs in nos profecta beneficia,

Eccls. 30.

Aristo. 1. Rhet. cap. 21.

Textor e. quo doctos viros in magno honore habitos refert.

pro

promerita multa, & ad nominis famam inter mortales,& ad immortalitatem inter immortales,fenfus omnes,memoriam,difcurfum, ratiocinationem,imaginationem, omnia fæpenumero nutantia, vacillantia,fæuè labefactata,monftruofequè deformata, in veterem ac integram formam reftituta debemus,vt non iniuria Filo ille apud Plutarchũ mirandos hofce medicinæ fructus, immenfas iftiusmodi vtilitates, attentius introfpiciens medicamenta Dei manus appellarit. Hæc,quæ non modo corpus,fed animum ipfum ab innumeris fæpiffimè eripit,ac vindicat perturbationibus, & affectionibus. Hæc illa eft,quæ fæpiffimè ad nos properantem,propulfat,ac depellit interitũ; acerbiffimos dolorũ cruciatus fedat;ægritudines omnes,quibus,quafi aduerfis tempeftatibus mortaliũ fluctuant iactata corpora, ceu fluctus ad faxum dehifcentes infringit,ac fermè diffipat. Hæc,quę abditiffima, prauiffimaquè quędã morborum feminaria, veluti maleficas Lybiæ Syrtes delitefcentes quàm fagaciffimè fcrutatur, prouidet,declinat. Hęc,qua lætitijs omnibus incedimus, omnem metum abftergimus; quæ mœrorẽ,fquallorem,fordes,fuam,vel aliorum triftiffimã vicem deplorantibus mortalibus,vt plurimum adimit,dùm,quæ, vel ex fuis femetipfos corripientibus morbis aduerfa perpetiuntur in priftinam vindicat conditionem, vel à confanguinitate,arctaquè neceffitudine coniunctis aduentantem, impendentemquè mortem iugiter ferè propellit,ac prohibet,ita vt vnius,Solis inftar nubes difcutientis, beneficio in iucundiffima quadam tranquillitatis ferenitate, ac luce verfetur mortaliũ vita implicatiffimis crebro humanarum rerũ, quafi voluminibus circumuoluta.Hæc,quæ non vna,aut altera mõftra cùm affiduè profligat,tùm femper edomuit, vt Medufam, Perfeus; Pythonem ferpentem Apollo; triformem Chimeram Bellerephon; Alcidam belluam flammam euomentem Pallas; Peloponneffo formidabile monftrum Cœrebus; Hydram, Leonem, Aprum, Ceruam Aeripedẽ, Draconem Hefperidum, Anthæum gigantem, Taurum flammiferũ, Stinphalides aues, Gergyonem tricorporem, Cacum latronem flammiuomum,Centauros,immaniffimos nonnullos reges, Augiæ ftabulum repurgatum,Cerberum triplici catena vinctũ,& aliqua alia Hercules cum dictis alijs ob hæc deleta monftra immortalitati commendatus; fed infinita propemodum, eademquè infeftiffima monftra in extremum humanæ vitæ detrimentum irruentia,vt venena; inter fefe internarum cõtrariarumquè qualitatum aduerfos conflictus; omnes præter naturam conftitutiones actiones lædentes; morbos omnes,fiue partium (vt cum Medicis loquar) fimilarium,fiue inftrumentaliũ, fiue vtrifque communes; febres deniqueomnes in fpiritibus,in humoribus,& in partibus folidis accenfas: quæ omnia,licet videatur natura

ad exi-

ad exitium hominum machinata, vt plurimum tamen Medicinæ studio mortalis quoque aliquis intercipit, superat, tollit, & vacillantem, ac penè corruentē sanitatem restituit, labefactatas, penequè deiectas vires firmat, molesta corrigit, pellit aduersa, fouet secunda; ita vt non tot syluæ frondes, littus arenas, messis aristas, fretū pisces, aues aera, sydera cœlū, ver flores, hyems pruinas; racemos ferat autumnus, quot grauissimarum vtilitatum multiplicia genera importat vna Medicina omnibus, quasi disciplinarū sertis redimita ad singularem suū præseferendū, & maiestatis, & auctoritatis splendorē; digna, vt quemadmodum, quò Solē magis intuemur eò admiramur magis, neque assiduo eiusdē vsu leue aliquid, aut vile putatur ita auspicatissimus, & gloriosus ipsius cultus semper floreat ac vigeat validius in nostris animis, nec assiduo ipsius vsu quicquā omnino minuatur aut vilescat. Hæc denique, quæ non modo iucundæ pacis cōmoda efficit diuturniora, & suauiora, sed durissima quoque bellorum iuga nō mediocriter leuat, ac lenit. Hęc vna nimirū est, quæ dū efferata bella geruntur, & cuncta vi Martis sacra, & profana miscētur, cruentis squallēt pręlijs infecta; omnia cædibus furore, dolis, tumultu, strepitu telorum, mœrore, metu perstrepunt, ac funestantur; omnia seditionibus, odijs, rapinis perculsa sunt, ac prostrata: dùm inquam omnia in mortaliū exitiū impunè grassantur; cuncta vastantur, rapiūtur, & insontium sæpissimè calamitatibus explentur; armis, minis miserorū corpora fœdantur, dilacerātur, confodiuntur: dùm vicatim prostrata, nonnulla spiritum ægrè trahētia; aliqua ex interceptis, vel corruptis cōmeatibus fame, macieque deformata, alia prorsus exanimata circūspiciuntur, nullo prorsus, vel ordinis, vel sexus habito delectu, vt persæpè serui adoriātur dominos, infimi plebiculę potentissimos, maximèquè factiosos inuadant; crebro vt sternat quis hostem interimit amicū. Adduntur cædes stupris, stupra cędibus. Dū omnia denique in sæuissima hac asperitate, & colluuione rerū, durissimaquè conspiratione, atque infausto humanorū votorū ludibrio horrent, squallent, sordent; vna medicina pyropi instar inter tenebras, vel Solis inter nubes aliquid lucis, & iucunditatis funestæ, ac desperatæ miserorū conditioni affert: hęc vna vulneratos sanare; deiectos, & abiectos erigere; luxatos reponere, intentata, coniectaquè tela educere; fracturas restituere; fistularum sinus, & abscessus incidere; cicatrices obducere; omnibus auxiliari docuit. Vna, quibus non torosi pectoris maiestas; staturæ proceritas, promptus militaris ausus; validū & constans artuū robur quicquā calamitoso, quasi omine aduerso profuere suffragatur, & opitulatur Medicina; fortissima, quæ fortissimos seruat incolumes; vtilissima, quę strenuos viros ad benemerendū de humano genere natos, coniuncta ferè exangui cū morte vita

te vita iterum integros reddit, ac superstites. Hinc fit, vt præclarissimi quiquè exercitus præclarissimis sẽper Medicis sint instructi. Hinc Teseum, Telamonẽ, Iasonẽ, Achillẽ, Palamedẽ, Teucrum, & alios nõnullos egregios belli Troiani duces medica facultate etiã claros fuisse varij testantur auctores; varij siue herbarũ, siue pharmacorũ vsus ab ipsis inuenti, quos numerare longũ esset persuadent. Hinc Alexandrum Macedonẽ, Mitridatẽ regem Ponti; Antiochũ Syriæ, Dionysiũ Syracusanũ, Attalũ regẽ Pergami, Alcibiadem, aliosquè clarissimos duces, & reges hac scientia clarissimos fuisse consignatũ est historiarum monumentis. Ex quo facilè quispiã intelligat huiusmodi esse medicinæ vsũ in bellis, in quibus omnibus silentibus disciplinis vnũ præstat ius armorũ, vt ex ipsius peritia sũmi quique Imperatores, & Principũ uirorũ ordines non mediocrẽ sibi laudẽ cõparare, ac uindicare uoluerint. Prætereo breuitatis studio præclarissimos semper Medicos quibusque bellis adhibitos, summis cùm honoribus, tùm præmijs cohonestatos; quippè qui in ijs tanto hominũ saluti sint usui, ut nulli unquã uelites, hastati, principes, triarij, uel, si quis alius sit militũ ordo; nulli uexilliferi, milites euocati, cẽturiones, tribuni, legati, primipili, imperatores ipsi, & alij omnes militares magistratus omnino sint, ex quibus tàm uberes, tàmquè iucundos fructus unusquisque demetere ac percipere possit. Felix sciẽtia, quę omniũ causa sciat, quæ una mortalibus prodesse nouit, unaquè omnibus ita queat imperare, ut ipsi nõ parere, uel ipsis sit imperatoribus pœna capitis: ex quo Aesculapio Phœbi filio gallũ ueteres sacrificabãt diei solisquè nunciũ, nõ modo ut uitę lumẽ se ipsi debere faterentur, sed ut uni fortissima quęque ipsi subijci ostẽderẽt, cũ unius galli aspectũ leo fortissimus terreatur, ac fugetur. Felix inquã, quę ubique solis instar iucũdissima luce enitescit; ita ut nulla omnino tàm leuissima sit infimi vulgi plebicola, nulla magnatũ, & clarissimorum Hæroum tàm summa, & singularis potestas sit, ac potentia, quę potẽtissimę scientię non imperio subiaceant, aut beneficio debeant. Digna scientia, in qua vna (quod agere consueuere pij quiq; mortales) diuini numinis admirabilem facilitatem, ac munificentissimam liberalitatẽ erga ægros, & calamitosos mortales recognoscamus, colamus, amemus, atq; ita prorsus amemus vt deterrimi quique (quod vsu sæpissimè venit) tãto beneficio impulsi optimi, impij piissimi reddantur. Votiuas testor tabellas, quibus diuinorum delubrorum parietes sunt conferti, cum quibus quisq; pro restituta corporis incolumitate animũ immortali Deo deuouit. Testor sacra quàm multa, quæ à lectissimis, & optimis quibusq; sacerdotibus immortali Deo facienda curant pleriq; ex ærumnosis morbis emergentes, cũ quibus piè toties animos etiam eidem Deo immolant, atq; offerunt. Egenis,

atq;

atq; relligiosis familiis effusissimè pecunias sæpe elargitas, relligionibus additos relligiosos homines, turpissimis veneris flagitijs inquinatissimos plurimos innocentissimos, & incorrupta quadam castitate integerrimos in omni vita redditos. Quàm multos testor superstites ex ægritudinibus fucata humanarum rerum specie, fluxarũ voluptatum, quas malorum escas appellabat Plato lenibus, ac blandis illecebris, & lenocinijs naturæ vt plurimum fallaci iucundi sensus motu irretitæ conciliatriculis prorsus neglectis inter mortales immortalium ducentes vitam fato functos inter cœlites beatissimo Deo felicissimè fruentes, inter homines gloriosissimis miraculis florentes ab Ecclesia sancta in diuorum numerum cooptatos, vt nihil omnino superesset mortalibus exoptandum, quod ipsis ex admirabili disciplina abundè non afflueret, & copiosè redundaret; itaut omnino quod in pinu arbore præter cætera singulare, ac admirabile obseruatur maturos Naturæ sponte quoque anni tempore, quoque mense fructus liberalissimè ferre, atq; præbere, &, quod Plinius de quadam apud Tiburtes Tilia, quàm scribit omnibus arborum surculis in ipsius medullam artificiosè adactis, & insitis omni genere pomorum non vulgari spectantium omnium stupore onustam, ac distinctam fuisse, nobis liceat in gloriosa facultate vsurpare, quippequæ omni ætati, omni sexuo, omni conditioni, regioni, paci, bello, faustæ, & infaustæ valetudini, tempestiuos, ac opportunos vtilitatis fructus exhibere, & velit, & valeat, omnibus ita sit, & scientiarum, & vtilitatum generibus expleta cumulataq; vt vna duntaxat omnium sit cùm vtilitati, tùm necessitati parata iugiter ac destinata. Ex quo medicinam descendentem fingunt, vt indicent vnam facultatem inter omnes maximè conducibilem, quæ ab altissima rerum omnium contemplatione demigret ad actionem; viridi indutã colore, quò ab vna vtilissima quæquè trahere sperarequè vnusquisque posset, quod tàm singulariter ab omnibus re ipsa comprobatur, vt gloriosum illud Raphaelis Angeli Tobiæ dictũ veluti ipsi maximè proprium in eadem liceat vsurpare. *Opera Domini reuelare, & confiteri honorificum est.* Atque in hoc medicus Angelis mihi videatur simillimus; illi enim Deum contemplantur, hic Dei admirabilia; illi summo fruuntur bono; hic à summo bono commoda plurima hominibus suppeditata nos edocet.

Plini. lib. 17. c. 16.

Tob. 12.

Exposuimus quò licuit pressius nonnulla, quæ gloriosissimæ facultatis nobilitatem, atq; vtilitatem facilè persuadent, & in vulgus emittunt. Essent nunc quò adhuc ipsius splendor ab omnibus cerneretur illustrior percurrenda, quæ in mortales sæuirent incõmoda ex ipsius, vel inscitia, vel carentia: inter duo nimirum contraria vnius honestatem alterius declarat turpitudo: nec verendum vtrisque his collatis,

ac perſpectis, quaſi ſtimulis admotis quempiam participem rationis excitatum iri ad omni alacritate colenda medicinæ ornamenta. Verùm quis à conſilio rei dignitate,& vaſtitate non reuocetur? Quis tàm imméſo nó obruatur Oceano? Quæ acies nó tanta luce victa perſtringatur? Quod flumen orationis non exareſcat, eloquẽtia obmuteſcat?

Tollas medicinam,homo in hac Mundi(vt ita dicam)ciuitate ſemper erit quodammodo hoſpes;nihil nimirum,vel cognoſcet, vel ſecernet; non modo,quæ in tenebris,& obſcuritate naturæ poſita ſunt,non intelliget;verùm miſerrimè in clariſſima rerum luce caligabit;videbit oĩa, oĩa neſciet; cuncta temerè fortuitò,nullius ſtultè, ac impiè vſus putabit. Auferas medicinam,cum eadem ſubripies ſcientias omnes; cum vna ipſa earum prima concepta ſemina in illam ſparſerit amplitudinem,qua hominum ingenia aluntur,& fruuntur. Adimas medicinam;quibus,mutis animantibus ratione præſtamus, cedemus neceſſario induſtria; cum, quibus naturæ præſidiis acceptis ad vitam propagandam vtuntur,eadem nos ignoraremus. Detrahas medicinã, è veſtigio prouidam naturam ſæuitię inſimulabis, tanta etis barbarie obſitus, inſcitia efferatus, ingrati animi vitio contaminatus,vt eandẽ mancam,ſemiturat am,decurtatam,hoſtem,nouercam iactes,quę hominem animalibus omnibus imperaturum,ad immortalitatem conditum, omnibus obnoxium qualitatibus:tamẽ nudum omnibus expoſuerit,cum cæteris variè tegumenta tribuerit,vt cortices,teſtas,coria,ſpinas,villos,ſetas,pilos,plumas, ſquamas,vellera; neque intelliges hunc nudum naſci,quòd cœleſtis quodammodo participet naturæ; minimumquè in ipſo terreni ſit recrementi, ac varijs ex proprio imperio ſe poſſit induere,quæ modo leuiora,interdum grauiora præſcribit medicina. Subripias medicinam ſæpiſſimè alimenti vice venenum tibi parabis. Tollas medicinam,tolles idem Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, virtutes denique omnes: nimirum, ſi vſui rerum, & experientiis nititur prudentia, quis inficietur ab eadem eorum vſum perfectè prodire, à qua earumdem deducitur ſcientia? ſic maiores noſtri Aeſculapij ſimulacro draconem ſubiungebant acutiſſimo viſu, excubandi,vigilandiquè acerrima vi præditum,quò facultatem iſtam prudentiæ matrem oſtenderẽt. Iuſtitiã: quomodo nimirum ſuum cuique is tribuat,qui adeò ſit rerum omnium, quibus vniuerſitas iſta diuino eminet,beneficio,imperitus, vt neceſſariò etiam, quę Deo, quæ cæteris alijs, quę ſibi ipſi debeat ignoret? Fortitudinem,quæ cum ſit virtus pro æquitate pugnans,profectò,qui alterutra ipſarum vacat,deſeretur ab alia,præterquamquòd quo pacto is illatas iniurias verè propulſare dicetur,qui quotidianas naturæ iniurias cum medicinæ ſtudio eas poſſit prohibere; patiatur

tamen illa carens, easdem omnes in suo corpore veluti hostes in obsesso loco debacchari, ac temerè potius quàm fortiter eã contemnãt disciplinam, in cuius vnius ditione, ac potestate sunt fortisima quæque. Temperantiæ omnium commotionum moderatricis, quæ expetenda, fugiendaquè docet, quo pacto quispiam, vel leuissimum quidem vestigium conmminiscatur absq; facultate ista, quæ modum, metam, ac temperamentum omnibus exhibet? Ex quo ijdem erãt apud Aegyptios medici, ac sacerdotes; & Plato in Charmide prodit Magos Xamolxidis, & Abaridis Hiperborei sectatores, animæ, & corporis eosdem esse medicos arbitratos, omniaq; corpotis bona, & mala ab anima in ipsum corpus fluere posse, & à corpore in animum; quemadmodum oculorum qualitas prouenit à cerebro, cerebri à toto corpore: quod intelligens noster Galenus; non parum interesse inquit, si puer quàmprimum in lucem est æditus medico sanitatis perito committatur: ita namque ad animi quoque affectus nonnihil lucri faciet, cum animi vitia, & affectus plerumque morbos gignant; seque ęgros non paucos persanauisse solis animi motibus ad debitum motum reuocatis; ad quam etiam corporis, & animi morborum affinitatem, qui vtrorumq; symmetria, ac apto quodam temperamento leuentur, ac tollantur, ostẽdendam veteres Apollini medicinę, vt ipsi putabant inuentori citharam, & musicam omnem etiam arrogasse scribit Gellius. Quid plura? adeò est Temperantię parens medicina, vt ab hac vna suum sortiatur nomen; sic Seneca in quadam ad Lucillum epistola medicinam, & medicos à medio dictos asserit, quoniam videlicet Temperantia est medium inęqualitatis, quę solet fieri ex contrarijs elementis, cuius Temperantiæ in corporibus nostris auctores sunt medici, qui medijs quibusdam, hoc est temperatis rebus sanitatem tuentur. Fac abesse medicinam, aberit illico cum eadem humani huius exilij solatiũ omne; è vestigio vbi te infinito propemodum ærumnarum, laborum, curarũ numero circumactũ intelliges, satius fuisse, vel non nasci, vel proximè natũ aboleri inquies, cũm quotidie, ceũ lumen ex lumine, molestias accẽdi à molestijs, in dies magis exasperari uouos dolores, exacerbari cruciatus, ac quasi cicatricibus recrudescentibus miserè semper vulnera refricari, nullum in tanta clade adstipulatorem, in calamitosissimo conflictu propugnatorem inueniens, spem omnem, quę in fundo vasis ab Hesiodo consedisse dicitur ferè prorsus abijcies. Detrahas denique medicinam (intercipienda enim iam est oratio nimis latè patentẽ, quò excurrat campũ, nacta) detrahes cũ ipsa mortalis huius vitę bona omnia, quę iugiter impendentibus, ac pręsentibus malis occurrunt. Habes igitur sine medicina inscitiam; brutis ipsis in quibusdam hebetiorem hominem; in-

Galen. l. I. περὶ ὑγιεινῆς.

Gel. lib. 4. cap. 13.

grati animi vitio laborantem; principum virtutũ defectionem; mundum istum carcerem, & carnificinam quandam, veluti illum, in quo nulla iucunditate perfundaris, omni calamitate discrucieris; in te ipso desperationem; mala denique omnia. O nobilissimam, & vtilissimã facultatem ad recreanda, & restituenda, tùm corpora, tùm animos hominum effectam, cui suo iure sapientissimus morta is diuino spiritu afflatus honorem tribuit, ac statuit, diuinitusque nobis traditam affirmat; quę vna sępissimè veluti preciosissimus lapis in sordidissimis quibusque locis emicans, aliquos nonnunquàm generis obscuritate humillimos, rei familiaris angustijs egentissimos; reddit tamen admirabiles, atque quorumuis maximorum principum intimo aditu dignissimos, dùm non tàm mendicitatem, quàm medicinã spectemus, fugatis à splendore tenebris. Quid, si hominem offendas, qui ut apprimè honoratur à gloriosissima scientia, vicissim ipse sua, & nobilitate, & ostentatione diuitiarum alicui esset scientię dignitati, certè, vt quid inter homines diuinum emineret, cùm pręcipuis clareret omnibus quę integrum sit quibusque ambire: at contra diuitiarum vbertate abundans semper velit, nolit in summa illa affluentia (saluberrimę cum expers sit facultatis) vtilissima re indigebit, vt non iniuria aureum (sic enim appellabat Socrates diuitem ignarum) mancipiũ dici possit, qui, cum pecunia abundet, possit tamen sibi opponi scientiæ ignoratio, ac pręsertim medicę, qua sibi necessario sit opus, eiusque imperio, vel inuitus est addictus, dum propriam vitam stultè contemnere nolit, eius inquam imperio, quę suo iure non modo tempestiuè, ac opportunè vsurpata, sed productioris etiam temporis, vt egregiè diuus inquit Cyprianus semper tamen vnicè amatur: quid vero non ametur, quæ ita sit bonorum omnium conciliatrix, vt ita splendida, augusta, permanens, amplaq; sit eius possessio, vt medicũ solum diuitem appellarit Esaias, cum dicit. *Ego non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Ciuicam coronã, quã ciuis ciui, à quo in bello seruatus, hosteq; à suis ceruicibus repulso à morte vindicatus esset testẽ vitæ, salutisq; perceptæ præbere consueuerat, sic apprimè celeberrimã inter cæteras, vt Muralem, Castrensem, siue Vallarem, Naualem, Oleaginam, Oualem, quę, & Myrthea dicebatur, Obsidionalem, Hederalẽ, Populeam, & alias, fuisse scribunt, vt Scipio ille Aphricanus, qui quatuor hostium duces, quatuor exercitus multis vicit prælijs; infestos Carthaginẽses ex Hispanijs eiecit; qui in sui admirationẽ quocunq; proficiscebatur, quod inquit Plut. concursum omnis generis hominũ commouebat propter hanc vnam dictitare solitus tradatur, malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Quòd, si tàm laudabile est, vt ita impensè laudatissimus vir aueret, quanta erit censendus

D. Cypr. lib. 5. ep. 13

Esa. cap. 3

Plu. in vita eiusdem

dus

dus gloria præstare non ignarus medicinæ professor, qui nō vnum, aut alterum hominem, sed plurimos ab ipsos inuadentibus quàm multis periculis ad vitam conuellendā tuetur? Circumspicite tantisper quicquid degitur æui, vbiq; medicinæ vtilitates nō obscurè descriptas patet intueri; vbiq; ea excellere dignitate, ac vtilitate, vt (quod perfectæ virtutis dicebat esse Aristoteles) nullo digno honore, ac laude cōpensari possit; licet ambo hęc eandem, velut vmbra corpus, assiduè comitētur, de cuius laudibus nulla anteacta, nulla sequēs ætas conticescet. Sileant igitur vt ad vmbilicū iàm, vt aiunt, ducatur oratio; eadē nimirū (Auditores) vestra egregia humanitas, quæ exordienti mihi bellicū cecinit, canit nūc receptui, ni gratissime vestræ facilitati sim longius, quàm parsit progrediens ingratissimus. Sileant inquā sycophantæ nō nulli, qui diuinū illud beneficiū vellicare, irridere, carpere nō verentur omnibus digni malis, qui omnium bonorum matrem turpiter aspernentur, digni certè vt ab hominum commercio explodantur, atq; inter bestias turpissimè amandentur, imo neque inter ipsas? neque enim vllo sunt naturæ vsu digni, qui tanta naturæ bona nequissimè respuant. Digni, qui sæuissimis conflictarentur, & corriperentur ægritudinibus, tantoq; bono orbati suo saperent, ac resipiscerent periculo. Digni inquam, qui infra mortuos ablegentur, qui vnicum hoc vitæ columen, leuamen, solatium non agnoscant, atque intra manium sedes deturbētur, qui salutare Dei opus petulantissimè floccifaciunt ac despicatui ducunt. O furentes homines, imo non homines, sed cadauera omni ratione, & consilio destitutos, omni exutos humanitate, & suorum fortasse, vel improbitate scelerum, vel inscitia, ac nequissimo virtutum odio tàmquam Circæo populo redditos omni immanitate teterrimos, efferatos, effrenatos, qui dùm oscē, quod dicitur, & conicē, quæque effutiant, & quæ hauserunt otio contabescentes vitiorum seminario fœdissimè euomant in ipsa miseria flagitiosè elati triumphant, digni triumphi, qui in cauponis, & ganeis insculperentur, ne tàm infamis memoria obrueretur, nisi probis viris contaminatissimus aspectus nauseā prius, quàm risū esset excitaturus. Aegrotent, & hæ irrisiones sint medicamenra; digni, cuius verba reguli instar aspectus proferentibus necem afferrent. Obijciant Rom. bonarum artium studijs, & militari gloria clarissimos viros gloriosam istā disciplinam ita neglexisse, vt eam è patrijs sedibus expulsam in longissimum exilium, quam scelerum pœnam appellat Tullius proiecerint. Testes huius mendacij sunt assidui balneorū vsus, dietæ, & alia huiusmodi à medica sciētia eruta nigiter ipsis familiaria, Testis Marcus Varro, & Marcus Cato clarissima florentis Romanæ Reipublicæ lumina, qui tàm multa medicam facultatem illustrantia mandatunt litte-

Arist. 4. Ethic.

Suetonius in ipsius vita. litterarum monumentis. Testis Iulius Cęsar, qui Medicos omnes ciuitate donauit. Testis Augustus, qui in grauissima quadam penuria omnes peregrinos præter medicos Vrbe expulit, Medicos inquam, *Xenophon. lib. 1.* quibus ex vrbes,(quod Cyrus apud Xenophontem inquit) indigent, *Plato 3. de Repub.* quibus benè valere opus est, & quos præsertim Vrbibus vehementer esse necessarios Plato asserit. Testis Plinius, qui cum Rómani aliquādo *Plin. li. 29 cap. 1.* Gręcos Italia expulserint, medicos ait excepisse. Expulsere profectò nonnullos potius humani generis carnifices, quàm medicos: medicinam vero ita coluerunt, vt bonarum artium cultores decet. Obijciant seruilem esse disciplinam, etiam Cœlum ipsum facile respondetur ad hanc custodiendam vniuersitatem assiduo motu agitari. Obijciant non Medicum, sed Deum esse sanitatis authorem. O Dęmonum æmulatores homines, qui fucata quadam boni specie bonum ipsum euertere, ac mortalium ingenia irretire, animos perdere intendant. Deus certè prima est boni omnis causa, primus est sanitatis author; *Ant. Flor. 4 parte sū ma titu. 7. cap. 1.* eandem tamen & seruat vigentem, & reddit amissam per medicamēta, & ipsorum peritos medicos, atque ita per medicos, vt, qui medicina ab ipsis præscripta non vtatur dummodo ea indigeat grauiter, in- *D. Thom. 2. 2. q. 97. ar. 1. in fi.* quiunt, peccet Antonius Florentinus, ac D. Thomas, atque D. Ambrosius ægrotum illum, qui non cauerit ab interdictis à Medico sibi *D. Ambr. in li. de paradiso c. 6.* ipsum propriæ mortis reum esse apertissimè ait. Obijciant turpissimis quibusque addictam; neque se flagitiosissimos cernant, dum optima re abutuntur, vel hoc vno enim non cōtaminatissima modo sed optima, quę turpissimis ad hominum salutem vtatur est medicina: nisi fortasse illud vnum sit medicis vitio verrendum, quod cum improbissimis istis hominibus nonnunquam versentur, impurissimis hisce identidem medeantur; at quemadmodum sol per impurissimos locos pertransiens iugiter tamen innato splendore cōspicuus nullam prorsus maculam contrahit, nihil fœdatur; à rebus autem putidis eleuat fœtorem, ab odoratis odorem, ita omnino nil mirum videri debet, si tam praua sit huiusmodi hominum consuetudo, vt dùm ipsos cohonestet, adiuuetquè integerrima, & planè diuina disciplina, ab ijsdem ipsa omnibus conuitijs, ac iniurijs dehonestetur. Scitum est illud Fabij *Plutar. in vita Fabij Max.* Maximi nec contumelia, nec ignominia virum probum affici posse. Quin imo ceu in æneum murum conjecta iacula retorquētur huiusmodi scommata, & iurgia in iacientem. Obijciant disciplinam istam superuacaneam, cum certus vitæ terminus sit constitutus. Medicos rem, quæ tanti est momenti quanti est hominis vita sæpissimè in disputationem reuocare, & alia nonnulla, quæ irrisione potius, quàm *Plutar. in vit. Solon.* confutatione indigent. Solonis illud velim hoc loco Auditores in memoriam reuocetis. In magnis scilicet rebus administrādis omnibus

placere

placere nimis laboriosum, ac difficile esse. Quæ improbè dicta sunt probè spernantur, nimirum frustra rationes afferantur rationis expertibus, quiq; ita sunt indociles vt nulla demonstratio, nulla Rhetorica imperitissimos animos persuadere vnquã posset, vel inflectere, qui rationũ luce, ceù sole cœnũ potius obdurescant, quiq; nulla ingenuitate prædití in ijs suam dignitatẽ collocarint, quę dignitatis causa alij, ceù infestissimos scopulos auersentur, atq; vnum abdominis studiũ, & inscitiam adoptantes in vna ipsa sibi turpiter lenocinantur, ac plaudent, vnam eiusdem laudem habent turpiter in votis. Arcadię fontem quendã esse scribunt, quem Clitorium vocant, ex quo, qui bibunt vini tędio afficiuntur. Illud idem vsu uenit (auditores) bonarũ artium studia consectantibus, vt scilicet dũ erudita earum præcepta imbiberint quasi vinolẽtos, excordes & fatuos homines ipsarũ inscios, & obtrectatores aspernẽtur, fastidiãtquè. Palmam inter arbores adeò firmam, & proceram esse scribunt, vt nitatur cõtra pondus; Laurum à fulmine non tangi: quasdã ẽt apud Indas arbores esse scribit Plinius tàm singularis altitudinis, vt sagittis superari nequeant: Hebenũ, Laricem, Cedrum, Iuniperum, cariem non sentire, ac postremũ in igne suauissimum odorem efflare tradunt. Aurum inter metalla æruginem numquam contrahere; in eodẽ igne non modo non absumi, sed pulchrius reddi fertur: ita oĩno gloriosissima istæc disciplina, in qua (vt egregiè noster ait Hippocrates, quẽ suo iure admirabilem omnium rerum magistrum appellat Galenus) omnia, quæ ad sapientiam postulantur egregiè insunt; non modo non sordescit maledictis inuidorum; sed omnino magis semper enitescit: ad illud peruenit gloriæ fastigiũ, vt prorsus negligat suo iure culpas oẽs, quas in ipsam transferri posse cuncti sibi falso persuadeãt; omnes reddit irritos conatus imperitorũ huiusmodi hominũ, qui obtrectationibus saginantur: ijdẽ non medicinæ, & sciẽtijs, sed sibi ipsis sunt infensi: memini. n. optimè legisse me apud non obscurũ quendã authorem, Palladẽ armatã fingi, Gorgonisq; caput, terroris imaginẽ in pectore gestantẽ, quò facilè indicetur vnãquamq; scientiã suis satis superq; esse præsidijs instructã, quibus maledicos deterreat ignaros; ijsdẽ itaq; homines isti seipsos polluũt, ac dehonestant criminibus, quorũ reã esse medicinã asserunt. Verùm hoc ipsum huic scientiarũ dominę sinamus cum summis Principibus, & Regibus commune, qui licet benè agant; malè tamen, vt plurimũ semper audiũt; apud præsertim vulgũ ignarum, omnia sua voluntate, ac voluptate metientẽ, quæq; suo non iudicio, sed arbitrio librantem, exoptantẽ sæpissimè in optimis bona: neq;. n. is collineare possit, qui scopũ ignoret, quò iaculetur, nec certũ aliquẽ cursum tenere, qui carceres, & metã nesciat. Homines isti, qui aliquid culpandũ in ingenuis

Io. Rauij: Textor ca. de mirabi. aquarum naturæ.

Hipp libr. de decenti ornatu.

Gal. lib. 2. de tẽperamentis.

Phornutus libr. de natura Deorum.

disciplinis, quasi nodum in scirpo quærunt, nugatoria, ludicra, scurrilia, laboris inimicam desidiam, inanes stultitiæ comites curas, iuueniles, leues, ac tumidos fastus, quibus nonnulli superfluentes, tàm inaniter, quàm insolenter exultant; deterrimam infamiorũ omnium scelerũ matrẽ auaritiam, quę ab omni cùm diuino, tùm humano honore, diuitiarum, quæ eò fit ardentius, quo affluit copiosius, & fucati honoris causa, facit diuortium; lubricas voluptates, in quas quisq; belluarũ ritu, sensu falsa amœnitate delibuto duce, procliuis, & præceps ruat afferant in mediũ, non sepôsitas, salebrosas, varijs anfractibus, vepribus, dumetis obstructas musarum sedes, & implicatissimos mæãdros, vt probè sciunt, qui gloriosum istud iter sunt emensi; profectò aliqua ipsorũ ad fugiendũ fraus, si non ad sequendũ laus aduertetur. Cullinã isti laudent, vel vituperent, non medicinã; certè obsecundabunt nostrę loquentibus aures, vt saltem, si non ineptias irrideamus deprauatã huiusmodi conditionẽ corrigamus: dùm aũt dẽte (quod dicitur) theonino rodere, maledictis proscindere, ac incessere gloriosissimam istam omniũ scenã doctrinarũ facultatẽ conantur, nihil omnino tanta insulsitate, inscitiaq; cômoueamur, quippeq; tantũ omnino indigna sit sapientum auribus, quantũ digna insipientum linguis; nec mirum eorũ linguas maledictis scatere, quorũ animi omnis sint cognitionis expertes. Sic Licinius Imperator bonas artes pestẽ publicã vocare solitus traditur, quarũ adeò erat ignarus, vt nè decretis quidem subscribere posset. Vna igitur sit ipsis excusatio eorum inscitia; vna, quę quõdam quibusnam Pyrrhum fortissimum ducẽ, quem Antigonus, atq; Anibal omnium ducum primũ peritia, & sagacitate iudicarunt, calũniantibus fuit admissa; quòd s. plura adhuc in ipsum iurgia iactassent, si plus vini hausissent. Quammobrem quęlibet dignissimę scientię dignitati minus consona verba fundant; tantam planè lucem ac veritatem nequicquã inobscurare, vel labefactare poterunt, qui sua sunt inscitia obscurissimi. Nos igitur (auditores) impurissimas hasces ineptias, obstrepentes istas leuissimorum obtrectatorũ voculas contemnẽtes, diuinum medicinę munus toto pectore colamus, plena manu, acerrima contentione certatim collaudemus, in quo ita solidę, ac inclytæ nobilitatis partes omnes non adũbratæ, sed expressę collucent, vt, vel nobilitas omnis ab eo fluxisse, vel in idem mirificè, ac munificè videatur confluxisse; itaut nihil omnino in ipso sit, quod nobilitatem nõ personet, ac testificetur; nulla vicissim nobilitas, quę ipsum nõ prędicet, atq; cômendet; in quo, siue cognitionẽ quæramus huiusmodi est, vt, quod de Isidis rosa fabulantur poetæ cômestam vertisse asellum in hominem, aut de Pactolo fluuio illius regis ablutione, à quo auspicatissimus tesserarũ iactus duxit nomen aureas arenas côtraxisse; vel de Pegasco

Plutar. in vita Pyrrhi.

gaſeo equo, quem montis Parnaſi ſaxum vngula quatientem perennem aperuiſſe fontem Poetæ mentiuntur, verè de ea poſſint affirmari: nimirū ea eſt feliciſſimę facultatis cognitio, vt rudē, & barbarū quēq; qui ſedulum in eā conferat ſtudium omni excolat, expoliat, locupletet, peritia diſciplinarum. Quòcirca Diogenem ferunt in vno medico, & philoſopho hominem vocare ſolitum animalium omnium ſapientiſſimum; in cæteris vero ineptiſſimum. Lucianus cæteris diſciplinis Medicàm honoratiorē vocat. Deniq; idem Hyginus tanti eximiam, & planè diuinā ſingularis boni cognitionem feciſſe Athenienſes ſcribit, vt ab eius ſtudio ſeruos prohiberent tamquā maximè liberalem diſciplinā ſeruili animo indignam: atq; Auguſtinus Anconitanus, & Antonius Florentinus multiplicis cognitionis, ac non vulgaris doctrinæ viri adeò diuinum eſſe ipſius ſtudium affirment, vt ſpurios ipſo interdicendos omnino cenſeant: perfectiſſimam namque diſciplinam non deberi ab imperfectiſſimis cognoſci, digniſſimā ab indigniſſimis fortaſſe ſunt opinati; quod licet, neq; lege ſancitum, neque conſuetudine fuerit vnquā receptum ad ſtudiorum forſitan fouendam, ac retinendam libertatem: ſat mihi tamen ſit grauiſſimorum virorum de glorioſiſſima diſciplina honorificentiſſimam opinionē minimè præterijſſe.

Hyginus falularū cap. 274. Lucianus de medico abdicato. Auguſtin. Anconitanus lib. 6. de libert. Eccleſiaſt. Antonius Florent. par. 3. ſua ſumma titu. 7. c. 2.

Tàm varia, copioſaq; igitur cognitione (vt ad id defiectat, vnde diſceſſit oratio) exuberat, ac exundat admirabilis diſciplina, vt ſuo ad nos interuētu perlucidus, & ſuauiſſimus doctrinarum, felicitatumq; fons verius, quàm à Pegaſei vngulæ ictu promanarit, à quo tàm multa hauriantur, tàm opportuna, & ſalutaria bona, quæ omnia ſuperent gemmarum, & auri pretia, vt veriſſimè dici poſſit ipſius veluti ſcientiarum reginæ cognitione aurea euadere ingenia, quippequæ eam poſſideant facultatē, quæ inſtar columnæ cuiuſdam in foro Romano collocatæ, in qua inciſæ erant omnes Italię viæ, omni ſcientiarū apparatu inſtructa ſit atq; exornata, itaut ipſius etiam peritorum aurea omninò videātur verba, gemmeæ, ſententiæ; auro nimirū penduntur, tanta prorſus tantę habetur doctrinę ratio. Quocirca, cum ſapientiſſimus Salomon ſcriptis ſapiētiam ędere, ac conteſtari ſuam aueret, plurimos ad medicam facultatem ſpectantes libros litteris tradidit; nimirum optimè intelligebat vnam Medicam facultatem ea eſſe quaſi doctrinarū dote, ac ſuppellectile auctam, & illuſtratam, huiuſmodi efferbuiſſe, ac ſuperfluxiſſe ex vnā perit ę copiam, vt eadē hominem vſquequaq; doctiſſimū poſſet indicare. Par igitur erat, vt omni cognitione vir cumulatiſſimus omni cognitione referta doctrina maximoperè ſe illuſtrem profiteretur. Si deniq; vtilitatem ſpectemus, ita vbertimos affert fructus non modo corporis ſaluti, qui tàm multi ſunt, vt apud Iuriſperitos communi lege ſancitum cōſtet, Fiſcum aduocare poſſe hęditatem

Columnā refert Plutarchus in vita Galba.

Gloſ. in l. dignum ff. qui vt indig.

reditatem ab hęrede tamquã ab indigno, qui medicos defuncto, dùm ægrotaret non adhibuit: & iure optimo hæreditario iure is abdicari debet, qui cõis parentis Naturę hęreditatem suis genitoribus denegarit, atq; omniũ is est fortunarum vsu abrogandus, qui vtilissimum naturæ munus, quo nullum magis è re, atq; vsu omniũ esse, à nullo ferri, ac percipi maiores posse vtilitates est censendũ non fuerint dum possent ijs impertiti, per quos ipsi tàm multis fruũtur eiusdem naturæ beneficijs. Non modo igitur corpus, & dùm ægrè, & dum bellè, ac benè se habet præclarissimas cõtrahit, & haurit à medica facultate vtilitates, sed animus ipse, quo vno in Adam sano sana fuere omnia, infirmo misera vicissitudine cuncta infirma euasere. Neq; aliud, quod Diuinus Plato asserit, dùm corporis salutem studiosè affectãt Medici omnino student, quàm syncerã, ac integrã quoq; animi incolumitatẽ fouere, ac tueri: animi nimirum mores corporis temperamentũ consectari fusissimè disputare Galenum ipsum apertissimè cõstat; itaut illud omnino, tùm quoad cognitionem, tùm quò ad vtilitatem attinet sit asserendũ, quod Chaldæi, & Aegyptij de homine dicebant Hymenæũ esse, atq; coniugium humanarũ rerum, & diuinarum. Quocirca omnia vtilitatum, oĩa nobilitatũ genera, vt poeticã vitemus anaphoram, simul sunt in Medica facultate copiosè congesta, connexaquè; oĩa longiore verborum ambage prætermisso (nimirum gratissimũ vestrum silentiũ longo sermone detentum, aliquo iàm tandem esset silentio compensandũ) oĩa inquam bona in vno sunt collecta, collocata, & cõprehensa bono omni oratione maiori, quod nullo tollatur ornamento, nulla vituperatione minuatur, quod, si quis affatim laudare conaretur studere idem Solis Meridiani splendorem cerea face succensa illustrare; si quis probris, & maledictis tantæ rei gloriosam dignitatẽ culpare, violareq; aggrederetur, moliretur idẽ, dùm tàm impia blateraret, offundere tenebras Soli, inficiari Cœlum; quæ omnium subijciuntur, ac obijciuntur aspectui ea ex sensu, & ratione penitus amouere, obliterare, conterere. A pumice (quod Plautus aiebat) aquã quærunt, qui dignas laudes tanto bono ab humano exquirunt ingenio; mihi (quod Tibulliana est sententia) in magnis sat sit voluisse: neq; maiori, quas præter mitto laudes iniuria, quàm eæ, quorum meminerim honore afficiantur, sed omnes per sese honorificentissimę omnibus cohonestentur honoribus, prædicentur encomijs, suspiciantur admirationibus; communiquè iugiter sermone, ac lætitia intimè, & enixè celebretur tamquam optimum, gloriosissimum saluberrimum, diuinum bonum Medicina. Dixi.

Plato in Cratilo.

FINIS.